A Cæſar Baronius S. R. E. Card. edidit annales Eccleſiaſticos Tom. XII. quibus complectitur hiſtoriam à nato Chriſto uſque ad annum ejuſdem M. CC. Morte præventus, ultra non deduxit, quod conatus fuit Abrahamus Bzovius ex Ord. Prædicatorum, edito nuper in lucem Tomo 13. & aliis.

Prodiere etiam jam pridem Annales ſacri duobus Tomis, auctore Auguſt. Torniello: quibus hiſtoriam deſcribit à condito orbe uſque ad Chriſtum, ſive ea tempora, à quibus Baronius auſpicatur ſuos Annales. Opus ſanè eruditum, & præ reliquis ejuſdem argumenti ſolidum. Impreſſi ſunt altera editione apud Moretum nuper anno 1620.

HISTORICI UNIVERSALES, QUI vel à condito orbe, vel ſuæ tantùm ætatis geſta diverſorum populorum ſimul ſcripſere.

Moyſes Originum librum ab orbe condito ſcripſit, uſque ad migrationem Hebræorum ex Ægypto in Palæſtinam. Hiſtoriam univerſi mundi complectitur annorum IIMCCCCL. Claruit ante Chriſtum annis 1519.

B Beroſus Chaldæus, quæ dicuntur Fragmenta, conſcripſit univerſæ hiſtoriæ ab orbe condito uſque ad annum mundi IIMCXXX. In Sardanapalo deſiit, ut Metahſtenes ſcribit. Claruit ante Chriſtum 330.

Philo Hebræus de Temporibus libros duos ab orbe condito uſque ad Tiberium edidit. Claruit an. Chr. 38.

Theopompus Chius, orator, filius Damaſiſtrati, natus Olymp. 93. Scripſit unà cum Ephoro epitomen Herodoti hiſtoriar. lib. 2. *Svidas*.

Herodotus, Lyxi & Dryonis F. Halicarnaſſæus, illuſtri genere natus: Samum ſe contulit, propter Lygdamidem, nepotem Artemiſiæ, tyrannum Halicarnaſſi. Sami hiſtoriam libris 9. ſcripſit, ab anno mundi 3210. uſque ad 3500. auſpicatus à Cyro Perſa, & Candaule Lydorum Rege. Thurii, quo tum Advenienſes coloniam deduxerant, defunctus; & in foro ſepultus eſt. Alii Pellæ mortuum tradunt. Libri ejus Muſæ inſcribuntur. *Svidas*. Jonicè ſcripſit, laxior Thucydide. Hunc Livio, illum Saluſtio, ex noſtris Quintilianus comparat.

Ephippus (aliis Ephorus) Cumanus, Demophili filius, Iſocratis oratoris auditor, vixit Olym. X. CIII. Scripſit hiſtoria-
C rum ab Ilii expugnatione, Trojanoque bello uſque ad ſua tempora, libros 30. *Svidas*.

Hellanicus Mitylenæus hiſtoricus, filius Andromenis, aut Ariſtomenis, aut Scamonis. Verſatus eſt cum Herodoto apud Amyntam Macedonum Regem, temporibus Sophoclis & Euripidis: & cum Hecatæo Mileſio congreſſus eſt. Conſcripſit plurima ſoluta oratione, & verſu heroico. *Svid.*

Hecatæus, Hegeſandri filius, Mileſius, Darii temporibus, Olymp. LXV. major Herodoto Halicarnaſſæo, Protagoræ auditor, primus ſoluta oratione hiſtoriam edidit. *Svid.*

Dionyſius Mileſius res poſt Darium geſtas libris 5. deſcripſit. Orbis deſcriptionem, Perſica Jonica dialecto. Trojanarum rerum libros 3. Fabuloſa Circuli hiſtorici lib. 7. *Svid.*

Polybius Megalopolitanus, ſcripſit de rebus Græcorum, Romanorum, Pœnorum, Celtarum, ab exilio Cleomenis & Pyrrho Epirotarum Rege, uſque ad bellum Romanorum cum Achæis & Philippo Rege Macedonum: id eſt, ab anno mundi IIMDCLXXX. uſque ad annum IIMDCCLXVI. De libris XL. quinque priores extant, & epitome ſequentium uſque ad XV. Claruit ante Chriſtum 200.

D Poſſidonius Olbiopolita, ſcripſit poſt Polybium hiſtoriam libris 52. uſque ab bellum Cyrenaicum, & Ptolomæi tempora. Floruit ætate Strabonis.

Trogi Pompei epitome ab Juſtino libris XLIV. comprehenſa, omnium penè populorum geſta breviter complectens, à Nino uſque ad Cæſarem Auguſtum. Claruit anno Chriſti 150.

M. Cato, quæ dicuntur de Originibus, fragmenta reliquit. Claruit ante Chriſtum 260.

Diodorus Siculus, Bibliothecam ſcripſit univerſalis hiſtoriæ, maximè illuſtrium populorum, ab ultima Ægyptiorum memoria uſque ad Auguſtum Cæſarem, libris XL. Claruit anno Salut. 40. *Svid.*

Nicolaus Damaſcenus, Philoſophus, Platonicus, familiaris Auguſto Cæſari, ac Herodi Regi Judæorum, ſcripſit hiſtoriam univerſalem lib. 80. & vitam Auguſti ſeparatim. *Svid.*

Judas quidam ſub Severo principe, Hiſtoriographiam ſuperiorum temporum, uſque ad decimum ejuſdem principis annum, ſcripſit. *Hieronym.* Sua tempeſtate Antichriſtum venturum prodidit, quòd ſuprà quàm dici poſſit, hominum vitia per id tempus invaluiſſent. *Sabell. lib. 5. Enn. 7. Plat.* E

Euſebius Chronicon edidit ab O. C. uſque ad annum Chr. CCC. Claruit an. 312. Hieronymus annos adjecit L. Proſper Aquitanus LX. Palmerius Florentinus MXL. Palmerius Piſanus XXX.

Julius Africanus de Temporibus ab O. C. uſque ad annum Chr. CCCXX.

Phreculphus Epitomen edidit hiſtoriarum ab O. C. uſque ad annum Chr. DL. Claruit an. 560.

Beda Anglus Chronicon ſcripſit ab O. C. uſque ad annum Chr. DCC. Claruit an. 730.

Paulus Oroſius ab initio mundi uſque ad Honorium.

Trajanus patricius, ſub Juſtiniano principe, ſcripſit Temporum Epitomen.

Addo Viennenſis ſcripſit de ſex mundi ætatibus uſque ad annum Chriſti DCCCC. Claruit an. 980.

Zonaras fuſam conſcripſit hiſtoriam ab O. C. uſque ad an. Chr. 1117. in tres partes diviſam. Prima pars Hebræorum eſt, altera Græcorum, tertia Latinorum.

Heſychius Mileſius ſub Anaſtaſio principe, Hiſtoriarum lib. 6. complexus eſt Romanorum & aliarum gentium geſta, uſque ad ſua tempora. *Svid.*

Honorius Auguſtodunenſis Chronicon edidit ab O. C. uſque ad ſua tempora. Claruit an. Chr. 1120. F

Helnandus monachus Chronicon edidit ab O. C. uſque ad ſua tempora. Claruit an. Chr. 1066.

Proſper præſul Rheginus, ab Adam uſque ad ſuum ſeculum.

Euſtathius Epiphan. ſcripſit Temporum Epitomen ab Ænea uſque ad Anaſtaſium principem. *Svid.*

Pelagius patricius, ſub Zenone Imp. hiſtoriam ab Auguſto orſam, verſibus ſcripſit: item Homerocentra. *Cedren.*

Iſidorus Hiſpalenſis hiſtoriam ab Adamo uſque ad ſua tempora, & brevem quandam Coſmographiam.

Regino, ann. Sal. DCCCLXXXXII. Abbas Prumienſis cœnobii, dignitate per invidiam deturbatus, Chronicon ſuorum temporum condidit.

Luitprandus Papienſis Levita, Berengario Regi à ſecretis, ab eodem in exilium pulſus, ulciſcendi tyranni cauſa hiſtoriam ſuorum temporum ſcripſit. *Teſtis ipſemet lib. 5. c. 5.*

Otho ex Principum genere natus, Epiſcop. Friſingenſis, & ob ſummam eruditionem Conradi III. Imp. Cancellarius, hiſtoriam ſcripſit.

Hermannus Contractus ſcripſit de ſex ætatibus uſque ad ſuam ætatem. Claruit ann. Chr. 1067. G

Marianus Fuldenſis Scotus Chronicon edidit ab O. C. uſque ad ſuam ætatem. Claruit an. Chr. 1088.

Sigebertus Gallus, Chronicon ſcripſit ab anno Chriſti CCCLXXXI. id eſt, à fine Tripartitæ hiſtoriæ, uſque ad annum MCXIII. cum appendice incerti auctoris, uſque ad annum 1216. Claruit an. 1130. Eumque nuper emendavit & evulgavit Aubertus Miræus Canon. Antverp.

Abbas Urſpergenſis Chronicon edidit ab O. C. uſque ad Frider. II. Imp. Claruit an. 1229.

Vincentius Bellovacenſis, Ord. Prædicatorum, ab O. C. uſque ad ann. Chr. 1201. Claruit an. Chr. 1260.

Faſciculus temporum ab O. C. uſque ad annum 1484. Auctore Vvernero Lario Carthuſiano.

Antonius Archiepiſc. Florentinus ab O. C. uſque ad an. Sal. 1470. Claruit anno Chr. 1480.

Jo. Nauclerus Tubingenſis, Chronicon edidit ab O. C. uſque ad annum Chr. 1500. Claruit anno 1510.

Donatus Poſſius Mediolanenſis, hiſtoriam ſcripſit ab O. C. uſque ad annum MCCCLXXXIX. Claruit anno 1496. H

M. Anton. Coccius Sabellicus Vicentinus Enn. 11. edidit hiſtoriam ab O. C. ad ſua uſque tempora. Clar. Ann. 1490.

Philippus Bergomenſis hiſtoriam ſcripſit ab O. C. uſque ad an. Chr. 1503. Claruit an. 1515.

* Abrahamus Bucholcerus edidit Indicem Chronologicum ſatis accuratum, ſi non quibuſdam in locis cenſuræ limam requireret, quo fit, ut non per omnia probetur, niſi emendetur aut expurgetur.

* Petrus Opmerus evulgavit Chronicon ab initio mundi uſque ad annum Chriſti MDLXXII. à quo deinceps uſque ad MDCXI. illud ſupplevit Laurentius Beyerlink, Archipresbyter Antverpienſis.

* Gilbertus Genebrardus Theol. Pariſien. ſcripſit Chronographiæ lib. 4. quorum priores duo continent res geſtas quatuor annorum millibus: poſteriores è Chronographia D. Arnoldi Pontaci Baſatenſis Epiſcopi aucti, reliquos annos

A annos complectuntur, uſque ad annum Chriſti M. D. XCIX.

Idem Genebrardus evulgavit Chronologiam Hebræorum, tam majorem, quæ Seber olam Rabba: quàm minorem, quæ Seber olam Zura inſcribitur.

Jacobus Gaulterius è Societ. Jesu, ſcripſit Hiſtoriam ſtatus Eccleſiæ, adeòque integram rerum toto orbe geſtarum Chronologiam, à Chriſto nato, priùs Gallicè, & poſtmodùm Latinè impreſſam Lutetiæ anno 1616.

* Baldvinus Junius Minorita ſcripſit Chronicon morale à Chriſto nato ad 1622.

HISTORICI PARTICULARES, QUI RES GESTAS DESCRIPSERE.

JUDÆORUM.

Joſephus Judæus, Matathiæ ſacerdotis Hieroſolymitani F. conſcripſit Græcè antiquitatis Judæorum hiſtoriam libris viginti, ab exordio mundi uſque ad XIII. annum Domitiani. De
B Præcurſore, & de Jeſu Chriſto hiſtoricè, hoc eſt, verè loquitur. Captus à Veſpaſiano, Romam veniens, ſeptem libros excidii Judaici obtulit Imperatoribus: qui in publicam bibliothecam ſunt relati, & ipſe ſtatua donatus eſt. *Svidas*.

Iiſdem temporibus, Hegeſippus Judæus bellum Judaicum libris quinque complexus eſt, quos Ambroſius Latinos feciſſe fertur.

Joſephus, filius Gorionis, hiſtoriam belli Judaici Hebraicè conſcripſit. Claruit anno Chriſti 99.

Juſtus Tyborienſis, ex provincia Galilæa, Judaicarum rerum hiſtoriam texuit. A Joſepho ut plurimùm mendacii arguitur. *Hieron.*

ASSYRIORUM, PERSARUM, MEDORUM.

Metaſthenes Perſa ſcripſit de judicio temporum & annalium Perſarum. Claruit 330. annis ante Chriſtum. *Bodin.*

Steſias Græcus, cum Artaxerxes Mnemon & Cyrus junior
C inter ſe belligerarentur, in expeditione una fuit, ac medicum egit. Captivus deductus Babylonem, perlectis hiſtoriis rerum Babylonicarum, ab initio ejus regni annorum numerum in ordinem digeſſit. *Strabo lib. 3. & Diod. lib. 2. c. 29.*

Agatharchus & Memnon edixerunt fragmenta de regibus Perſarum & Aſſyriorum, ante Chriſtum an. 375. *Bod.*

Pigres, Artemiſiæ filius, Græcorum & Perſarum navalem pugnam ad Artemiſium verſibus ſcripſit. *Plut. de Hom. malign.*

Xenophon Athenienſis ſcripſit de expeditione Cyri in Pariſidem contra fratrem Artaxerxem regem Perſarum.

Crito Pieriota (civitas autem eſt Macedoniæ Pieria) ſcripſit res Perſicas.

Dionyſius Mileſius ſophiſta ſcripſit res Perſarum poſt Darium. *Svidas*. Ab Hadriano Imp. ob ingenii dotes ſatrapa factus, inter equites aſcriptus, in ejus menſa Ægyptia (quæ viros in toto orbe terrarum doctiſſimos continebat) locum obtinuit. *Philoſt.*

Procopius de bello Perſico libros duos edidit. Claruit an. Chriſti 540.

D

ÆGYPTIORUM.

Philiſtus Naucratia, aut Syracuſanus, Archomidæ filius, qui primus ex arte oratoria hiſtoriam ſcripſit, compoſuit Ægyptiaca libris 12. item quædam de Libya & Syria. *Svid.*

LYDORUM, CARIUM.

Xanthus, Candaulis Lydi filius, Sardianus, eo tempore quo Sardes captæ ſunt, ſcripſit Lydiacorum libros 4. *Svidas*.

Leo Alapandeus ſcripſit hiſtoriam de Carybus libris quatuor: de Lyciis duos. *Svidas*.

Apollonius Aphrodiſæus ſcripſit res Caricas, de Trallibus, de Orpheo ejuſque myſteriis.

Xanthus ſcripſit hiſtoriam Lydorum libris quatuor.

TROJANORUM.

Dares Phrygius ſcripſit bellum Trojanum Græcè, in quo militavit, ut ait Iſidorus, primus ferè hiſtoricorum. Qui tandem capto Ilio, cum Antenoris factione remanſit, ut ſcribit Cornelius Nepos, qui opus ejus in ſex libros è Græco convertit, & Criſpo Salluſtio dicavit. E

Dictys, Cretenſis genere, Gnoſo civitati, iiſdem temporibus, quibus & Atrides fuit, ante Chriſtum anno 1129. Cum Idomeneo Deucalionis filio ad Ilium venit, & annales belli Trojani conſcripſit, ſex voluminibus in phillyras digeſtis. Eas reverſus in Cretam præcepit ſecum ſepeliri, in plumbea arcula repoſitas. Tertiodecimo demùm anno Neronis, in Gnoſo civitate, terræmotu facto, ſepulchrum Dictys patuit. Paſtores aperta arcula invenerunt tilias incognitis literis conſcriptas: continuòque ad ejus loci dominum Eupradixem pertulerunt. Is Rutilio Ruffo inſulæ præſidi obtulit. Rufus Neroni Romam tranſmiſit. Nero per Phœnices interpretes cognoſcens belli Trojani hæc eſſe monumenta, in Græcum ſermonem transferri juſſit: Eupraxidem muneribus donatum in patriam remiſit, & Annales in bibliothecam recepit. Septimius Romanus in Latinam linguam convertit. *Svid.*

GRÆCORUM.

Cadmus, Pandionis F. Mileſius, ſecundùm quoſdam primus hiſtoriam ſoluta oratione ſcripſit, Orpheo paulò junior. Scripſit ædificationem Mileti, & totius Joniæ lib. 4. *Svid.* F

Charon Lampſacenus ſcripſit Græca lib. 4. de Lampſaco duobus, Cretentia lib. 3. *Svidas*.

Damaſtrus è Sigeo Troadis, Dioxippi F. Hellanici diſcipulus, æqualis Herodoti, ſcripſit de rebus Græcorum. *Svid.*

Thucydides, Oleri & Hegeſipylæ F. Athenienſis, maternum genus à Miltiade duce, paternum ab Oloro Tracum rege duxit, Antiphontis diſcipulus. Floruit Olympiade 87. Scripſit bellum Pelopponeſiacum libris octo, quibus à fuga Xerxis uſque ad annum XXI. belli Peloponneſiaci, annorum XC. hiſtoriam complexus eſt. Claruit ante Chriſtum annis 340. *Svidas*. Hujus belli initio quadraginta annos natus fuit: uti Herodotus 53. Hellanicus 65. Itaque eodem ferè tempore tres nobiliſſimi hiſtorici floruerunt. *Gellius lib. 15. c. 23. ex Pamphila lib. 11.*

Xenophon Athenienſis libris VII. Thucydidis narrationem perſequitur, annorum XLIII. uſque ad prælium ad Mantineam. *Bodinus*.

Palæphatus Abydenus ab Alexandro ſcripſit Cyprica & Attica. G

Philochorus, Athenienſis, ſcripſit libros Attidis 17. qui continent res Athenienſium, reges, & magiſtratus, uſque ad Antiochum, Deum cognomento.

Meliſſandrus Mileſius, Lapitharum & Centaurorum bellum ſcripſit. *Æl. de Varia hiſt.*

Demochares, Demoſthenis nepos, hiſtoriam earum rerum, quæ erant geſtæ ſua ætate Athenis, non tam hiſtorico quàm oratorio genere præſcripſit. *Cicero in Bruto*.

Marſias, Periandri F. Pellæus, Antigoni frater (qui poſt regno potitus eſt, & unà cum Alexandro rege educatus) grammaticus, ſcripſit Macedonica libris decem, à primo rege uſque ad Alexandri ingreſſum in Syriam, poſt Alexandriam conditam: Attica. lib. 12. & ipſius Alexandri educationem. *Svid.*

Leo Alabandeus ſacrum bellum Phocenſium. *Svid.*

Crito Pieriota Macedo ſcripſit res Macedonum.

Choerilus Samius, Athenienſium victoriam contra Xerxem: & pro ſingulis verſibus ſingulos ſtateres aureos recepit.

Phlegon Tralianus, libertus Auguſti, ſcripſit hiſtoriam Olympiadum libris 16. uſque ad Olympiadem 29. H

Timæus Siculus, res Græcas & bellum Thebanum.

Zeno Rhodius ſcripſit hiſtoriam Rhodiorum.

Polemon Helladicus ſcripſit de origine civitatum Phocidis, Pontis, Lacedæmonis.

Theopompus Chius ſcripſit Græcas hiſtorias lib. 11. quæ Thucydidis & Xenophontis narrationem ſequuntur. *Svid.*

SICULORUM.

Philiſtus ſcripſit res Siculas libris undecim, de Dionyſio tyranno libros ſex, *Svid.*

Crito Pieriota ſcripſit Res Siculas.

ITALORUM QUORUMVIS.

Timæus Andromachi filius, Tauromenites, quem Athenienſes Epitimæum ab increpando vocarunt (dictus etiam Graoſyllectria, quòd quælibet in literas referret) ſcripſit Italica & Sicula, libris octo: Græca & Sicula. *Svid.*

M. Antonius Coccius Sabellicus ſcripſit hiſtoriæ Venetæ libros 33. Claruit anno 1490.

Petrus

A Petrus Bembus, Cardinalis, Venetam hiſtoriam libris 12. ſcripſit, ſumma fide & elegantia. Similiter Blondus, Bern. Juſtinianus, Pancratius Juſtinianus, M. Ant. Sabellicus, Gaſpar Contarenus Card, Andreas Mocenicus.

Leon Aretinus, de rebus Florentinis: Amer. Nolanus, de Nola: Bern. Corius, & Arlunus de Mediolano: Gaudentius Mercula, de Inſubribus: Bern. Scardonius, de Patavinis: M. Ant. Michael, de Bergamo: Jo. Baptiſta Bonacoſſa, de Eſtenſibus: Platina, de reb. Mantuanis.

Fr. Guicciardinus ſcripſit de rebus in Italia geſtis ab anno Chriſti CCCCXCIII. uſque ad annum MDXXXVI.

Jo. Pontanus de bello Neapolitano. Claruit anno 1290.

Pandulphus Collenutius ſcripſit de regno Neapolis ab Auguſto uſque ad Carolum V. Imp.

Galeacius Capella de bellis in Italia geſtis inter Carolum V. & Franciſcum regem Gallorum. Guilielmus Paradinus conſequentium annorum hiſtoriam uſque ad annum Chriſti MDLV.

ROMANORUM.

B

Apud Romanos olim hiſtoria non niſi ab honeſtiſſimis & ingenuis ſcribebatur. Primus L. Octacilius Philitus, libertinus Pompeji, Strabonis res geſtas ſcripſit, in gratiam Pompeji Magni diſcipuli. *Svet. de Rhet. & Corn. Nepos*.

Q. Fabius Pictor, Juris & antiquitatis peritiſſimus, Annales ſcripſit. *Cic. in Oratore*. Annis ante Chriſtum 280.

Polybius Lyci F. Arcas, Megalopolitanus, Scipionis Æmiliani unà cum Panætio Philoſopho præceptor, & ultimo bello Punico comes, cum parte claſſis ab eodem duce accepta ad Atlantem uſque penetravit, annis circiter 280. ante Chriſtum. Scripſit hiſtoriam Romanam lib. 40. auſpicatus ab exilio Cleomenis Spartani, & Philippi Perſei filii: ac ſucceſſioni Macedonum, res geſtas Romanorum ordine attexuit. Cujus hiſtoriæ ſuccedit Poſſidonius Olbiopolites ſophiſta. Scripſit & Strabo Amaſienſis, ea quæ poſt Polybium geſta ſunt. *Svidas & Sab. Enn.* 5.

Vellejus Paterculus proconſul libros duos ſcripſit in univerſam hiſtoriam populi Romani. Claruit an. 210. *Bodinus*.

T. Livius Patavinus ſcripſit libros 144. ab U.C. uſque ad C Auguſtum, de quibus reſtant 45. Claruit ante Chriſtum 35. annis. Natus eſt anno ab Urbe condita 114. quo & M. Meſſala orator. Exceſſit Paduæ, anno tertio Imperii Tiberii, ætatis autem LXX. Hunc Cajus princeps tanquam verboſum inſectatur: Pollio tanquam Patavinitatem redolentem. Quintilianus eum Herodoto comparat, in concionibus præſertim, ſuadetque pueris ediſcendum, ut Ciceronis imitatorem. *Cælius lib. 25. c. 3. A. L. Vives lib. 3. de Ratione dicendi*.

C. Jul. Cæſar, de Bellis civilibus lib. 3. ſcripſit.

Criſpus (Romana primus in hiſtoria Martiali) Salluſtius bellum Catilianum & Jugurthinum, & Romanas hiſtorias, inſtar Livii.

Aſinius Pollio, Romanus, lib. 17. hiſtoriæ Romanæ compoſuit, primuſque Græcorum geſta Latinè tradidit. *Svidas*.

Dionyſius Halicarnaſſeus, ſub Auguſto Romanam hiſtoriam libris 11. Pompejo magno ac Tuberoni, Varroni item tanta benevolentia conjunctus, ut ab ejus colloquiis præclara omnia hauſiſſe videatur. *Bodin. Methodi hiſt. c. 4.*

Dion Caſſius ſcripſit Romanam hiſtoriam libris 80. Præterea geſta Trajani principis, & vitam Arriani philoſophi.

D Xiphilinus Patriarcha ſcripſit epitomen in Dionem. Claruit anno Chriſti 1070.

L. Florus ad Trajani tempora pervenit. Scripſit hiſtoriam Romanam brevem & elegantem. Præterea epitomen omnium librorum Livii ab eo factam, conſtans eſt opinio. Fuit familiaris admodùm *Quintiliano, lib. 10. c. 3. Inſt.*

Sextus Rufus V. Coſſ. ſcripſit epitomen de geſtis Romanorum ab U.C. uſque ad Valentinianum Imp. Claruit an. 450.

Cornelius Tacitus annales ſcripſit ab Auguſto, in quo deſierat Livius, uſque ad Nervam, libris 21. de quibus reſtant libri 16.

Appianus Romanam ſcripſit hiſtoriam, quæ Imperatoria dicitur, de bellis civilibus. Claruit an. Sal. 215. *Svidas*.

Amianus Marcellinus, miles Conſtantinopolitanus, Urſicini magiſtri equitum comes perpetuus: omnibus ferè bellis, quæ à Romanis in Europa & Aſia ſuis temporibus geſta ſunt, interfuit. Cœpit à Nerva hiſtoriam ad Valentem uſque libris 31. de quibus ſervati ſunt XVIII. ab anno trigeſimo Conſtantii uſque ad exitum Valentis. Superiores tredecim ex aliorum ſcriptis facilè ſarciuntur. Tacitum unum ex omnibus imitandum ſibi propoſuiſſe videtur, ſed Tacitus Romani ſermonis di- E gnitatem, ut tempora ferebant, aſſecutus eſt: Amianus Latinis verbis, Græcè ſcripſit. *Io. Bodinus Methodi hiſtoricæ c. 4.*

Proſper Aquitanicus continuationem hiſtoriæ Romanæ ſcripſit ab anno 382. uſque ad 447. quo urbs à Genſerico rege capta eſt. Claruit anno 480.

Europius presbyter, Afer, diſcipulus Auguſtini (ut tradit Ptolemæus Lucenſis in Viris illuſtribus) ſcripſit epitomen Romanæ hiſtoriæ lib. 10. ab Urbe condita uſque ad Valentem & Jovinianum. *Gennad. Maſſil. & Platina*.

Paulus Diaconus res Romanas proſecutus eſt.

Fl. Blondus Forojulienſis, Eugenii Pp. ſecretarius, ſcripſit libros 30. ab inclinatione Imperii ad ſua tempora, & libros X. de Roma triumphante, deque Italia illuſtrata, Anno 1440. *Bodinus*.

Caſſiodorus, cognomine Senator, Faſtos conſulares, & epiſtolas Theodorici Oſtrogotorum Regis in quæſtura & magiſterio ſcripſit. *Sigon. lib. 16. Imp. occid.*

CONSTANTINOPOLITANORUM. F

Procopius Illuſtrius Cæſarienſis, Palæſtinus orator & ſophiſta, ſcripſit hiſtoriam Romanam, rerum contra Perſas in Oriente, contra Gothos in Italia, contra Vandalos in Africa geſtarum, ductu Beliſſarii ducis clariſſimi ſub Juſtiniano Imperatore. Librarius Beliſarii dictus, & comes in omnibus bellis, & rebus à ſe deſcriptis interfuit. Scripſit & alium librum, qui Anecdota dicitur, quaſi non editus, de ſuis actis: in quo opere vituperationes & inſectationes Juſtiniani, & Theodoræ conjugis ejus, atque etiam Beliſarii & uxoris ejus, continentur. *Svidas*.

Nicephorus Gregoras ſcripſit hiſtoriam centum & quadragintaquinque annorum, à Theodoro Laſcari uſque ab Andronicum Palæologum poſteriorem. Claruit anno Chriſti 1280. *Bodinus*.

Nicetæ Acominati Choniatæ hiſtoria annorum 86. ab anno quo deſierat Zonaras, uſque ad exitum Murzufuli Imp. id eſt uſque ad annum 1203. libris 19. comprehenſa. Claruit anno Chriſti 1460. *Bodinus*.

HISPANORUM. G

Aſellius Sempronius ſcripſit bellum Numantinum.

Franciſcus Tarapha Hiſpanus, brevem ſcripſit epitomen omnium hiſtoriarum regumque Hiſpaniæ ab O.C. uſque ad Carolum V. Imp. Claruit anno 1530.

Rodericus Palentinus ſcripſit de rebus Hiſpanorum Hiſpanicè.

Antonius Nebriſſenſis ſcripſit de rebus à Ferdinando Catholico geſtis. Claruit anno 1494.

Jo. Bracellus ſcripſit de bello Hiſpanico libros 5. Claruit anno 1497.

Carolus Vetardus ſcripſit de expugnatione regni Granatæ, item Bæticam hiſtoriam. Claruit anno 1468.

Damianus Goeſius ſcripſit de rebus Luſitanorum in India geſtis. Claruit anno 1510.

GALLORUM, FRANCORUM.

C. Julius Cæſar ſcripſit de bello Gallico libros 7.

Appianus Celticum, ſive de bello Gallico. H

Guilielmus Paradinus de antiquo ſtatu Burgundiæ. Claruit anno 1555.

Gregorius Turonenſis Epiſcopus ſcripſit hiſtoriæ Francorum lib. 10. ab eorum origine uſque ad annum Chriſti DC. Clar. an. 630.

Antonius, vel Aimonius, monachus ſcripſit lib. 5. de regibus Francorum, ab anno Chriſti 420. uſque ad annum 826.

Robertus ſcripſit de Gallorum geſtis adversùs Saracenos libros 10. Claruit an. 1120.

Froiſſardus ſcripſit hiſtoriam de bellis Francorum & Anglorum, ab an. Chr. 1335. uſque ad annum 1400. Enguerranus Monſtreletus conſequentium annorum hiſtoriam texuit uſque ad Ludovicum duodecimum.

Philippus Cominæus ſcripſit hiſtoriam ab anno Chriſti 1462. uſque ad initiationem Ludovici XII.

Jo. Trithemius Germanus ſcripſit de geſtis Francorum ab an. 433. ante Chriſtum, uſque ad annum Chriſti 1500.

Robertus Gaguinus reges Francorum uſque ad Carolum VIII.

Nico-

A Nicolaus Gilius ſcripſit Annales Franc. Claruit ann. 1500.

Paulus Æmilius Veronenſis, Livianæ facundiæ æmulus, auſpiciis Franciſci Valeſii res geſtas Francorum decem libris perſecutus, morte præventus, abſolvere non potuit. Obiit autem 3. Non. Julii anno Chriſti 1529. Epigr. de ſe vivus tale ſcripſit:

Eſt mater Verona mihi: Facunda parenti
Lingua fuit: Fratres ſunt duo, & una ſoror.
Æmiliana domus: ſtudioſum pectus honeſtis.
Eſt ſophia, eſt ſuperum cognitionis amor.
Pallidus ob ſtudium: viret ætas: otia nulla.
Natura eſt facilis: ſors gravis: hoſte vaco.
Incolui Romam, retinet me Gallia: cardo
Carlus habet: Gallis condimus hiſtoriam.

Jo. Fertonius Gallus ſequentes reges uſque ad Franciſcum.

Jo. Tilius Pariſienſis ſcripſit epitomen Hiſtoriarum à Pharamundo uſque ad Henricum II. Claruit anno 1550.

Hubertus Leonardus ſcripſit librum de origine Francorum. Claruit anno 1490.

Bochetus ſcripſit Annales Aquitaniæ.

B Hermannus Comes ſcripſit de rebus Francorum uſque ad annum 1525. Claruit anno 1530.

BELGARUM.

Bieſſelius ſcripſit geſta Flandrorum.

Jacobus Meyerus, qui claruit anno 1480. deſcripſit res Flandriæ.

Jacobus etiam Marcantius Flandriam nuper evulgavit in 8. Antverpiæ.

Emanuel Demetrius ſcripſit hiſtoriam tumultuum Belgicorum ſatis accuratè, niſi quòd plus æquo tribuat affectibus ſuis, & Hæreticorum ſtudia promoveat quantùm poteſt.

Carolus Scribanius è Societate Jeſu, ſcripſit Antverpiam: velut & Lovanium Juſtus Lipſius: Teneramundam David Lindanus: Tornacenſium res Joannes Couſin.

Florentius Van de Haren ſcripſit initia Belgicorum tumultuum.

Franciſcus Hareus nuper vulgavit Brabantiados Tomos tres apud Moretum Antverpiæ.

C Aubertus Mireus Faſtos Belgicos, & Annales edidit.

Guilielmus Gazetus Hiſtoriam Eccleſiaſticam Belgii.

Gaſpar Ens Hiſtoriam ſui temporis.

Joannes Chiapiaville hiſtoriam rerum Leodienſium, addito Chronico univerſali.

Pontus Heuterus Rerum Belgicarum hiſtoriam ſcripſit uſque ad ann. 1558.

Hadrianus Junius deſcripſit Bataviam patriam ſuam.

Martinus Del-Rio ſcripſit Hiſpanicè & Latinè de bello Belgico.

Ludovicus Guicciardinus Italicè primùm, poſtea variis linguis edidit Belgium.

GERMANORUM.

Cornelius Tacitus libellum ſcripſit de motibus Germanorum: quem Commentariis Altamerus illuſtravit. Claruit anno 120.

Beatus Rhenanus Seleſtadienſis ſcripſit rerum Germanicarum libros 3. Claruit anno 1500.

D Jacobus Vvimphelingus rerum Germanicarum epitomen. Claruit anno 1549.

Franciſcus Irenæus Helingiacenſis Germanicæ exageſeos libros 12. Claruit anno 1519.

Huldricus Mutius Hugualdus ſcripſit de Germanorum prima origine, moribus, inſtitutis, legibus, & memorabilibus bello ac pace geſtis, lib. 31. Claruit anno 1551.

Jo. Aventinus Germanicarum rerum illuſtrationem edidit lib. 10. in pleriſque emendandus.

Georgius Noviomagus de Batavis. Lambertus Hortenſius de Ultrajectinis ſucceſſionibus. Nicolaus Mareſcalcus de Herulis & Vandalis.

Jo. Stumpfius Tigurinus Helvetiorum hiſtoriam Germanicè. Item ante illum Felix Hemmerlin. Sed cautè legendi.

Vvolfgangus Lazius Viennenſis Auſtriacam hiſtoriam libris 4. comprehenſam.

Ricardus Bartolinus Peruſinus Auſtriados lib. 12. Clar. anno 1500.

Ulbertus Cranzius Saxonum hiſtoriam. Claruit anno 1520.

Vitichindus Saxo de rebus Saxonum lib. 3. Clar. an. 950.

Sebaſtianus Boiſſelinerus de obſidione Magdeburgica. Auctor ſuſpectæ fidei. E

David Cythreus ſcripſit Saxoniam.

GOTHORUM DANORUM, SCLAVORUM, SVECORUM.

Procopius ſcripſit de bellis Gothorum lib. 3. Claruit an. 530.

Agathias Smyrnæus de bellis Gothorum lib. 5. Claruit anno 550.

Jordanes Archiepiſcopus Ravennas, natione Gothus, de Gothis ſcripſit, ſecutus Dionem Græcum (qui opus ſuum de Getis inſcripſit) & Alavium Senatorem Romanum, gente itidem Gothum, qui XII. libros de ea gente compoſuit. *Cranz. lib. 1. Sveciæ, c. 1.*

Hiſtoriam belli Svetici Starcaterus, qui & ejuſdem prælii præcipuum columen fuit, primus Danico digeſſit eloquio, cujus epitomen *Saxo Grammaticus lib. 7.* deſcribit.

Saxo Grammaticus hiſtoriam Danorum libris 16.

Helmodus presbyter, Sclavorum hiſtoriam à Carolo Magno uſque ad Fridericum Ænobarbum.

Gaſpar Ens de rebus Daniæ, an. 1593.

Albertus Cranzius ſcripſit hiſtoriam Daniæ, Norvegiæ, Sveciæ, quæ Gothia & Scandia dicta eſt, ab eorum origine uſque ad annum 1504. Claruit anno 1520. F

Joannes Magnus Gothus, Epiſcopus Upſalenſis, hiſtoriam Svecorum & Gothorum. Claruit anno 1530. Ejus nepos Olaus Septentrionales res memoratu dignas.

HUNNORUM, HUNGARORUM.

Jo. Turotius Hungarus, Chronicon Hungariæ tribus libris conſcripſit.

Melchior Soiterus ſcripſit de bello Pannonico. Claruit anno 1530.

Jacobus Boſſardus edidit nuper res Pannoniæ.

Antonius Bonfinius Aſculanus ſcripſit rerum Hungaricarum libros 30. uſque ad Mathiam Corvinum. Clar. an. 1440.

POLONORUM, BOEMORUM, MOſcovitarum, Sarmatarum, Tartarorum.

Haiton Armenus ſcripſit hiſtoriæ Tartarorum librum unum. Claruit anno 1290.

Paulus Venetus ſcripſit de Regionibus Orientalibus & Imperio Tartarorum libros 3. Claruit anno 1280. G

Joannes Dugloſſus, Leopolienſis Epiſcopus, maximis legationibus ſub Caſimiro III. Polonorum rege functus, ejuſque filiorum præceptor, hiſtoriam Polonicam ad annum uſque 1480. Sal. perduxit. *Cromerus lib. 29.*

Martinus Cromerus ſcripſit de rebus Polonorum lib. 30.

Philippus Callimachus ſcripſit Polonicam hiſtoriam contra Turcas.

Mathias Michæus de Sarmatia, Aſiana atque Europæa ſcripſit libros 2. in quibus Tartarorum ac Moſcovitarum hiſtoria breviſſimè continetur.

Joannes Scala, Pelſinæ Boemiæ oppido natus, legum doctor, nobilitatis & equeſtris dignitatis titulis ornatus, Dubravii cognomen aſſumpſit. Legationibus variis functus, cùm Vienna à Turcarum exercitu oppugnaretur, Stanislai Thurzonis Epiſcopi Olomucenſis copiarum ductor fuit: cui cùm in Epiſcopatu ſucceſſiſſet, Sileſiæ motus ſub Ferdinando Cæſare compoſuit. Boemorum plurimos bello Smalcaldico in officio retinuit, rebellibus veniam impetravit. Scripſit Hiſtoriarum Boemiæ lib. 33. Apoplexia mortuus an. Sal. 1538. 8. Id. Sept. H

Paulus Jovius, Novocomenſis, ſcripſit de legatione Moſcovitarum librum unum. Claruit anno 1540.

Sigiſmundus ab Herberſtein, liber Baro, Ferdinandi Imp. ad Moſcos non ſemel legatus, res Moſcoviæ diligenter & fideliter expoſuit.

Alexander Guagninus, Veronenſis, Poloniam, Moſcoviam, Tartariam poſtremus omnium deſcripſit.

LONGOBARDORUM.

Longobardorum res ſcripſerunt Iſidorus Hiſpalenſis, Secundus Tridentinus.

Paulus Diaconus, cancellarius Deſiderii regis, ſcripſit de rebus Longobardorum lib. 6. Claruit anno 780.

BRITANNORUM, ANGLORUM, Scotorum.

Colmannus Sapiens, ex Viſiſaxonum gente oriundus, hiſtoriographus percelebris & veridicus, circa ann. Domini 1200. claruit. Scripſit catalogum regum Angliæ, Dialogum

A gum de bellis Danicis, Angliæ deſcriptionem. *Balæus Cent. 3. cap.43.*

Georgius Lilius Britannus Chronicon edidit ab Hengiſto, id eſt, ab anno Chriſti DC. uſque ad annum 1560. Claruit anno 1560.

Ponticus Vitruvius Tarviſinus ſcripſit hiſtoriæ Britannicæ libros 6.

Polydorus Virgilius ſcripſit hiſtoriæ Anglicæ libros 36. Claruit anno 1530.

Beda Anglus ſcripſit libros 5. hiſtoriarum Angloſaxonum, uſque ad ſuam ætatem. Claruit anno 732.

Galfridus Arturus, Anglus, de rebus Britannicis libros 8. Claruit anno 689.

Nicolaus Trivetus, Anglus, annales Anglicos à Comitibus Andegavenſium, id eſt, ab anno Chriſti 1135. uſque ad 1307. Claruit anno 1420.

Veremundus Hiſpanus, Scotorum, Hiſpanienſium, Hibernicorum atque Albianorum antiquitates, literis tradidit. *H. Boethius lib.*10.

Hector Boethius ſcripſit Scotorum hiſtoriam.

B Guilielmus Candelmus ſcripſit de Britannia.

SARACENORUM.

Hermannus Dalmata Chronicon Saracenorum edidit.

Rupertus Monachus ſcripſit de bello adversùs Saracenos lib.8. Claruit anno 1087.

Jo. Guilielmus, Archiepiſcopus Tyrius, de bello Sacro ſcripſit libros 23. Claruit anno Chriſti 1150.

TURCARUM.

Andreas Cambinus ſcripſit de origine Turcarum.

Laonicus Chalcondylas ſcripſit hiſtoriam de rebus Turcarum. Claruit anno 1490.

Chriſtophorus Richerius Torignæus ſcripſit de rebus Turcarum lib.5. Claruit anno 1530.

Marinus Barletius de rebus geſtis adversùs Turcas, Scanderbechi regis Epirotarum, libris 53. tractavit. Claruit anno 1488.

C

AFRORUM.

Charon Lampſacenus, filius Pythoclis, tempore primi Darii floruit: Scripſit Æthiopica, Libyca, Navigationem extra Herculis columnas. *Svidas.*

Joannes Leo, Afer, genere Maurus, natione Hiſpanus, religione Mahumeticus, deinde Chriſtianus: poſteaquàm totam Africam & Aſiam minorem, bonam quoque Europæ partem diuturnis itineribus obiiſſet, captus eſt à pyratis, & Leoni X. Pontifici Max. dono datus: apud quem ea quæ incredibili ſtudio ac diligentia de Africa, deque Africæ populorum moribus, legibus, inſtitutis, totiuſque regionis ſitu ac deſcriptione Arabica lingua compoſuerat, in Italicam tranſtulit. *Bodinus Methodi cap.*4.

Franciſcus Alvareſius edidit deſcriptionem Æthiopiæ, Hiſpanicè, Gallicè & Italicè. Claruit anno 1496.

Philippus Pigafetta, de regno Congi anno 1598.

NOVI ORBIS.

Aloyſius Cadamuſtus ſcripſit Navigationem ad terras novas. Claruit anno 1504.

D Chriſtophorus Columbus Genuenſis, Navigationem ad Inſulas antea ignotas.

Albertus Veſpucius, Navigationum epitomen. Claruit anno 1501.

Americus Veſpucius conſcripſit Navigationes IV. Claruit anno 1497.

Joſephus Indus deſcripſit Navigationes. Claruit anno 1500.

Ludovicus Rom. Patricius ſcripſit Navigationem Æthiopiæ, Ægypti, utriuſque Arabiæ, Perſidis, Syriæ, Indiæ, intra & extra Gangem, libris 7.

Gozalus Fernandus Oviedus, ſcriptor rerum Indicarum novi orbis, eruditus adeò, ut hunc ſolum ex antiquis inter hiſtoricos noſtræ ætatis adnumerari dignum cenſeat *Cardanus de ſubtilitate, libro de Metallis.*

SINENSIUM.

Nicolaus Trigautius ſcripſit nuper accuratè res Sinenſium, anno 1620.

Matthæus Ricius, de eadem Regione ante illum quædam vulgavit.

VITARUM SCRIPTORES. E

Vitarum ſcriptores practicos hic intelligimus, hoc eſt, eos qui quorumvis hominum res geſtas, dicta factaque memorabilia tradunt. At quia hominum varii ſunt ordines, ſcriptores ipſi ex diverſitate ſubjecti dividuntur in eos qui vitas enarrant hominum illuſtrium bonis maliſve Animi, Corporis, aut Fortunæ. Secundùm Animum quidem, ut Religioſa pietate clarorum, Philoſophorum, Ducum bellica laude illuſtrium, Mechanicorum. Secundùm corpus, ut Olympionicorum, Gigantum, Formoſorum. Secundùm Fortunas, Divitum, Regum, Pontificum. Item reſpectu patriæ, Græcorum, Latinorum. Quæ ſanè diſtinctio neceſſariò obſervanda eſt, ſi modò Hiſtoricos ad certas claſſes reducere volumus.

IN GENERE, ILLUSTRIUM VIRORUM.

Theſeus hiſtoricus, Vitas illuſtrium virorum lib. 5. ſcripſit, Corinthiacorum libros 3. quo in opere Iſthmicorum ludorum inſtitutionem narrat. *Svidas.* F

Acuſilaus, Cabæ F. Argivus, è Cercade urbe prope Aulidem, hiſtoricus antiquiſſimus, deſcripſit Genealogias ex æneis tabulis, quas pater ejus quendam ædium ſuarum locum fodiens reperit. *Svidas.*

Evemerus, Meſſenius, antiquiſſimus hiſtoricus, Jovis cæterorumque, qui Dii vocabantur, geſta collegit: ac hiſtoriam fingit ex titulis & inſcriptionibus ſacris, quæ in templis antiquiſſimis habebantur: quam hiſtoriam Ennius poeta interpretatus eſt. *Lactantius lib.*1. *divinarum Inſtit.*

Charon Carthaginenſis ſcripſit vitas Clarorum virorum libris 4. *Svidas.*

Timagenes Mileſius ſcripſit de Heraclea Ponti, & Viris in ea claris, libros 3.

Cornel. Nepos, Ciceronis tempore, vir diſertus, Vitas illuſtrium virorum ſcripſit, ex quibus tantùm Pomponius Atticus extat. *Volat. lib.*14. *c.*2. *Anthrop.*

Philo Herennius, Biblius genere, grammaticus, ſcripſit de Civitatibus, & viris claris, libros triginta.

Damophilus ſophiſta & hiſtoricus, quem aluit Julianus conſul ſub M. Antonio principe, ſcripſit ad Lolium Maximum de vita priſcorum. *Svidas.* G

Gennadius Maſſilienſis ſcripſit de Viris illuſtribus Theodoſii tempore.

Iſidorus præſul Hiſpalenſis ſcripſit de Viris illuſtribus.

Raphael Volaterranus ſcripſit de Claris viris omnium gentium.

Paulus Jovius ſcripſit de Viris illuſtribus. Item Franciſcus Petrarcha.

MULIERUM.

Charon Carthaginenſis ſcripſit libros 4. de Illuſtribus fœminis. *Svidas.* Item Plutarchus, Phil. Bergomenſis, & Jo. Boccacius.

IN SPECIE. QUI VITAS ſcripſere.

CHRISTI OPT. MAX. EUANGELISTÆ.

Matthæus, qui & Levi, ex publicano Apoſtolus, primus in Judæa, propter eos qui ex circumciſione crediderant, Euangelium Chriſti Hebraicis literis verbiſque compoſuit. *Sophronius.* H

Marcus, diſcipulus & interpres Petri, ea quæ à B. Petro audierat, rogantibus Romæ fratribus, brevi Euangelio complexus eſt; idque approbante Petro. Mox Alexandriam navigans, Eccleſiam ibi inſtituit ſumma pietate & religione. Mortuus eſt octavo Neronis anno, & ſepultus Alexandriæ, ſuccedente ſibi Aniano. *Sophronius.*

Lucas, medicus Antiochenus, Græci ſermonis non ignarus, ſectator Pauli Apoſtoli, & omnis peregrinationis ejus comes, ſcripſit Euangelium, prout ab Apoſtolis acceperat: & Romæ acta Apoſtolorum, quæ ipſe præſens ferè omnia viderat. Vixit 84. annis, cœlebs. Sepultus eſt Conſtantinopoli, ad quam urbem, 20. Conſtantini anno oſſa ejus cum reliquiis Andreæ Apoſtoli tranſlata ſunt ex Achaja. *Sophronius.*

Joannes Apoſtolus, quem Jeſus amavit plurimùm, filius Zebedæi, frater Jacobi Apoſtoli, ab Herode poſt Domini paſſionem decollati, noviſſimus omnium ſcripſit Euangelium, rogatus ab Epiſcopis Aſiæ, adverſsù Cerintum & Ebionem hæreticos. Quattodecimo anno poſt perſecutionem Neronis, Domitianus eum in inſulam Patmon relegavit, in qua ſcri-

A pſit Apocalypſin. Interfecto Domitiano, ſub Pertinace Epheſum rediit: ibique uſque ad Trajanum vivens, totius Aſiæ rexit Eccleſias: confectus ſenio, 68. anno poſt paſſionem Domini, ſepulchrum vivus ſubiit, nec poſtea ampliùs in terris viſus. *Hieron. in Catal. Script.*

ANIMI BONIS MALISVE ILLUſtrium, Puta,

Piorum, Sanctorum, Martyrum, Confeſſorum, Prophetarum.

Philo ſcripſit de vita Moyſis.

Epiphanius de vitis Prophetarum. Sophronius de vitis Euangeliſtarum.

Origenes librum de Martyribus ſcripſit. Claruit an.260.

Euſebius Cæſarienſis vitam Pamphili martyris lib.3. ſcripſit, à quo Pamphili cognomentum accepit. *Platina.*

Gennadius, presbyter Maſſilienſis, librum conſcripſit de viris illuſtribus Eccleſiaſticis. Claruit anno Chriſti 496.

Fortunatus, præſul Pictavienſis, Sanctorum geſta partim B proſa, partim carmine conſcripſit. Martini vitam quatuor libris heroico verſu proſequutus eſt. Hymnos quoque omnium celebritatum diverſo metro ſatis eleganter explicavit.

Paulus Diaconus vitas martyrum.

De vitis Sanctorum utriuſque ſexus ſcripſere, Abdias Babylonius, Aloyſius Lipomannus, Georg. Vicelius, Joach. Perionius, Laur. Surius, Cæſar Baronius, Joan. Molanus, Lippeloo, Heribertus Roſvvey, Matthæus Raderus, Franciſcus Hareus, Hyacinthus Cocquetius & alii innumeri.

Impiorum, Hæreticorum, Magorum.

De Hæreſibus, Epiphanius, Auguſtinus, Theodoretus, Joannes Damaſcenus, Philaſtrius Brixienſis, Bernardus Luceburgius, Robertus Bellarminus, Alphonſus à Caſtro, Joannes Lindanus, Prateolus, Matt. Becanus.

Doctorum, Philoſophorum.

Xenophon Athenienſis primus deſcripſit vitas Philoſophorum, & peculiari comment. Memorabilium, dicta factaque præceptoris Socratis. *Svidas.*

Damaſtes Sigeenſis ſcripſit de parentibus & majoribus eorum qui ad Trojam militarunt. *Svidas.*

C Diogenes Laertius ſcripſit de vita & moribus philoſophorum, libros decem. Itidem Eunapius Sardianus, & Philoſtratus Lemnius, qui præter Icones Apollonii Tyanei vitam IIX. libris abſolvit.

Vitas Jurecoſſ. Bern. Rutilius, & Jo. Fichardus.

Vitas Medicorum, nuper evulgavit Antverpiæ anno 1618. Petrus Caſtellanus Prof. Linguæ Græcæ Lovanii.

Aubertus Mireus vulgavit elogia illuſtrium Belgii ſcriptorum.

Valerius Andres J. U. D. nuper edidit Bibliothecam Belgicam, id eſt, viros ſcriptis claros.

Franciſcus Svvertius idem argumentum poſt priorem tractavit, & evulgavit anno 1626.

Antonius Sanderus publicavit illuſtres Antonios anno 1625. & ſcriptores Flandros.

Bellica laude Illuſtrium.

☞ *Regum exempla pete ex ſeq. quando illic dignitatis ratio habetur.*

Damaſtes Sigeenſis ſcripſit de Poetis & Sophiſtis, æqualis Herodoto. *Svidas.*

D Steſimbrotus Thaſius, ſcripſit res geſtas Cimonis, ducis Athenienſium.

Annibalis res geſtas multi memoriæ prodiderunt: ſed ex his duo qui cum eo in caſtris fuerunt, ſimulque vixerunt, quandiu fortuna paſſa eſt, Philenius, & Soſilus Lacædemonius: quo Annibal literarum Græcarum uſus eſt doctore. *Probus in Annibale.*

Corn. Epitadius, Lucii Cornelii Syllæ dictatoris libertus, edidit librum: quem Sylla noviſſimum de rebus ſuis imperfectum reliquit, ipſe ſupplevit. *Teſte Svetonio, & Volat. lib.* 14. *c.*12. *Anthrop.*

Theophanes Lesbius ſcripſit res à Pompejo geſtas.

L. Octacilius Pilitus, Rhetor, Cn. Pompejum Magnum docuit, ejuſque patris res geſtas ſcripſit: primus omnium libertinorum hiſtoriam ſcribere aggreſſus, non niſi ab ingenuis ſcribi ſolitam. *Sveton. de Claris oratoribus.*

Valerandus Valeranus, de puella Joanna Gallica.

MERETRICUM. E

Ariſtophanes, Apollodorus, Ammonius, Antiphanes, Horgias Athenienſis, commentaria de Amicis, quæ erant Athenis, ediderunt. *Athen. lib.*13. *c.*8.

Hermeſianax Celophonius, Leontii meretricis nequitias & amores tribus libris carmine expoſuit.

CORPORIS BONIS CLARORUM. UT

Olympionicarum.

Evanoridas Eleus, Olympiacorum victorum commentarium conſcripſit. *Pauſan. lib.*6.

FORTUNÆ BONIS, UT PUTA DIGNITATE, & officio celebrium. Nempè

Sacerdotum, Pontificum.

Charon Neucratia de ſacerdotibus Ægyptiorum ſcripſit. *Svidas.* Item Joan. Pierius Valerianus.

Pontificum Romanorum hiſtoriam ſcripſerunt Anaſtaſius F Bibliothecarius, Damaſus Papa ſub Juliano, Paulus Diaconus, Guido Ravennas, Sigebertus monachus, Hugo Florianus, Sichardus Præſul Cremonenſis, Gotfredus Viterbienſis, Vincentius Præſul, Martinus Carſulanus, Landulphus Canonicus Carnutenſis, Sozomenus, Gervaſius Ricobaldus, Ptolemæus Lucenſis, uſque ad Cœleſtinum V. Antonius Præſul Florentinus, Volaterranus, Otho Friſingenſis.

Onuphrius Panvinus, & Joan. Baptiſta Platina ſcripſit vitam & ſeriem ſummorum Pontificum. Moritur Romæ peſte anno 1481. Idem Onuphrius de Cardinalibus ſcripſit, & Ciaconius.

Joannes Coriolanus in ſumma Conciliorum nuper evulgata, ſcripſit breviter ſeriem ſumm. Pontificum.

Papyrius Maſſo etiam eoſdem deſcripſit, & Alphonſus Ciaconius.

Antonius Damochares deſcripſit Epiſcopos penè omnes, ſed an in nominibus recenſendis ſatis accuratus fuerit, dubitatur à nonnullis. G

Gr. Nicephorus, illuſtratus notis Ant. Cujacii & Camerarii. habet Epiſcopos omnes veteres Orientis.

P. Galeſinus ſcripſit de Epiſcopis Mediolanenſibus.

Hubertus Folietta de Genevenſibus.

Scriptores Annalium Etruriæ & Neapolis habent Epiſcopos earum Provinciarum.

Hieronymus Rubeus ſcripſit Epiſcopos Ravennates.

Carolus Sigonius, Bononienſes.

Joannes Juvenis, deſcribit Tarentinos.

Maricus Freccius de Epiſcop. Neapolitanis.

Bernardus Saccus de Ticinenſibus.

Item Ant. Maria Spelta de iiſdem.

Stephanus Garibajus de Epiſcopis Hiſpaniæ, ſcripſit Hiſpanicè.

Joannes Vaſæus de iiſdem.

Franciſcus Paciecus de Epiſcopis Hiſpalenſibus.

Hieronymus Blancas de Epiſcop. Cæſarauguſtanis.

Antonius Auguſtinus de Terraconenſibus.

Andreas Reſendius de Eboracenſibus.

Symphorianus Campegius edidit Epiſc. Lugdun.

Petrus Sant-Julianus, Cabillonenſes.

Robertus Monachus S. Mariani, Altiſſiodorenſes. H

Jacobus Tavellus Senonenſes.

Camuzæus Tricaſſenſes,

Elodoardus Rhemenſes.

Joannes Chenu J. C. Bituricenſes, qui etiam anno 1621. evulgavit ſeriem omnium Antiſtitum Galliæ, & Mornenſium.

Papirius Maſſonus eoſdem dedit.

Belleforeſtus ſcripſit de iiſdem.

Georgius Collenerius de Epiſc. Cameracenſibus & Atrabatenſibus.

Joannes Becanus & Guilielmus Heda.

Item Hadrianus Berlandus & Petrus Bockenbergius ſcripſerunt de Epiſcopis Ultrajectenſibus.

Arnoldus Haventius Carthuſ. de Epiſcopis novis in Belgio.

Nicolaus Gazæus eoſdem deſcripſit.

Joannes Chiapeaville ſcripſit Tungrenſes, Trajectenſes, Leodienſes. Item Joan. Placentius.

A Nicolaus Serrarius, Moguntinos.
Franciſcus Guillamannus, Argentinenſes.
Marcus Velſerus, Auguſtanos.
Joan. Cygneus, Bambergenſes.
Chriſtophorus Brovverus, Trevirenſes.
Vigeleus Hundius, Salisburienſes.
M. Adamus, Hamburgenſes, & Bremenſes.
Gaſpar Bruſchius, Colonienſes, & alios Germaniæ.
Polydorus Virgilius quoſdam Angliæ.
Hector Boethius Epiſcopos Scotiæ.
Duitbrandus, Pragenſes.
Marisbarienſis & Godvvinus, Angliæ.
Gerardus Voſſius, Cantuarienſes.
Joannes Gualterus compilavit omnes Germaniæ.
Ambroſius Morales, Voletanos.
Joannes Cognatus, Tornacenſes.

Laurentius Beyerlink in iſto opere congeſſit ſeriem omnium, quos obtinere potuit, Epiſcoporum Chriſtiani orbis, à S. Petro uſque ad noſtra tempora.

B *Imperatorum, Regum, Principum.*

☞ *Conſule Tit. Hiſtoricos particulares, quatenùs populorum res geſtas enarrantes, Regum quoque qui populis præfuerunt, facta deſcribunt.*

Manetho ſacerdos Ægyptius, fragmenta, quæ feruntur, reliquit de regibus omnium penè populorum. Clar. 330. annis ante Chriſtum.

Charon Carthaginenſis, ſcripſit tyrannos, quotquot in Aſia atque in Europa fuere ab Alexandro Magno. *Svidas*.

Charon Naucratia, reges qui fuere ab initio in qualibet gente, deſcripſit. *Svidas*.

Xenophon, Grylli F. Athenienſis, res Cyri Perſarum regis præclaro illo Pædiæ volumine elegantiſſimè & planè philoſophicè libris octo abſolvit. *Svidas*.

Themiſtogenes Syracuſanus, hiſtoriam Cyri regis Perſarum.

Leo Byzantius, auditor Platonis & ſophiſta inſignis, ſcripſit res Byzantii à Philippo geſtas. *Teſtis Volaterranus lib.16.* C *Anthrop.*

Theopompus Chius ſcripſit Philippi res geſtas libris LXXII. *Svidas*.

Oneſicritus, philoſophus & hiſtoricus, Ægineta (Demetrio Magneſio Aſtypaleus) è Diogenis ſchola, ſimilitudinem quandam cum Xenophonte habere videtur. Ut enim ille cum Cyro, ita hic cum Aleandro Macedone militavit: ille Cyri pædiam, hic Alexandri incunabula, & originem ſcripſit: uterque ſui principis laudes proſequitur. Stylus quoque utriuſque ſimillimus. *Diogenes*.

Clitarchus, comes Alexandri, ejus geſta conſcripſit. Cujus in hiſtoria ingenium probatur, fides infamatur, *teſte Quintil. lib.10. c.1.*

Res itidem ab Alexandro geſtas ſcripſere Dion Pruſieus libris x. Menechmus Sicionius, Andronicus, Calinius Syrus Calliſthenes Olynthius, Craterus Alexandri expeditionum comes, *teſte Plut. in Ariſtidis vita*.

Arrianus ſcripſit hiſtoriam Alexandri Magni 8. libris Claruit Romæ ſub M. Antonino & Adriano principibus, à quibus ob literas conſularem meruit dignitatem. Hic inter Græcos D hiſtoricos tantæ eſt in ſcribendo integritatis, ut φιλαλήθης, ideſt, veritatis conſectator ſtudioſuſque ſit vulgò cognominatus, atque ita etiamnum honeſtetur in libris. *Cælius lib.1. c. 22. Ant. Lect.* Eruditioni ejus atteſtantur commentarii in Epictetum: eloquentiæ verò, quòd alter Xenophon eo ſeculo fuit appellatus. *Io. Bodin. Methodi hiſt. c.4.*

Q. Curtius ſcripſit de rebus geſtis Alexandri Magni libros 10. de quibus reſtant octo. Claruit anno 1480.

Nymphis Heracleotes, ex Heraclea Ponti, Xenagoræ diſcipulus, ſcripſit hiſtoriam Alexandri, & ejus ſucceſſorum, libris vigintiquatuor. *Svidas*.

Hieronymus Rhodius hiſtoricus, familiaris Demetrii Poliorcetis, relictus ab eo præfectus in regione Bœotiæ, ſcripſit res à Demetrio geſtas. *Plut. in Demetrio*.

Philarchus Athenienſis, ſive Naucratia (alii Sicyonium faciunt) ſcripſit expeditionem Pyrrhi in Peloponneſum, libris vigintiocto. *Svidas*.

Antipater, Jolai filius, & Philippi Macedonis miles, ſcripſit hiſtoriam Perdiccæ, & res Illyricas.

C. Julius Cæſar commentarios rerum à ſe in Gallia geſtarum ſcripſit. Rebus geſtis alios, ſcriptis etiam ſeipſum vicit. E

C. Oppius, amiciſſimus Julii Cæſaris, ejus commentarios continuavit, bellum Hiſpanienſe deſcribendo. *Volater. lib.17.*

Nicolaus Damaſcenus vitam Auguſti ſcripſit, cui amiciſſimus fuit, adeò ut dactylos majores & ſuaviſſimos Nicolaus appellaret. *Svidas*.

C. Svetonius Tranquillus deſcripſit vitas XII. Cæſarum à Cæſare uſque ad Nervam. Claruit anno 120.

Dion Caſſius ſcripſit hiſtoriam principum Romanorum ab Auguſto uſque ad Alexandrum Severum, cujus Epitomen complexus eſt Xiphilinus. Claruit anno 240.

Dion Nicæus deſcripſit vitas Imperatorum à Nerva uſque ad M. Aurelium. Claruit anno 240.

Ælius Spartianus ſcripſit de vita Adriani, Antonini Pii, & M. Aurelii. Claruit anno 240.

M. Aurelius Antoninus ſuam ipſius vitam conſcripſit libris XII. Claruit anno 170.

Julius Capitolinus ſcripſit libros tres de vita Antonini utriuſque, Veri, ac Pertinacis. Claruit anno 300. Diocletiano opus dedicavit. F

Herodianus Alexandrinus ſcripſit libros IIX. à morte M. Aurelii uſque ad Gordianum juniorem. Claruit anno 200.

Sextus Aurelius Victor ſcripſit de vitis Imperatorum ab Auguſto ad Theodoſium magnum. Claruit anno 420.

Vulcatius Gallicanus ſcripſit vitas Imperatorum ad Diocletianum.

Julius Cordus vitas Imperatorum ſcripſit. Cui vitio datum eſt, quòd eorum, qui obſcuriores eſſent, minima etiam proſequeretur. *Capitolinus*.

Ephrem Græcus vitas principum Conſtantinopolitanorum Jambico carmine deſcripſit: quod opus in bibliotheca Vaticana cernitur. *Volat. lib.15. Anthrop.*

Gargilius Martialis vitas Imperatorum ſcripſit, tempore Alexandri principis: cujus ipſe vitam diligentiùs perſecutus eſt, teſte Lampridio. *Svidas*.

Marius Maximus hiſtoricus, ſcripſit Principum Romanorum vitas. Accuſatur à Lampridio, quòd nonnullorum principum fama haud dignorum geſta nimis curioſè proſequatur. G *Volater. lib.17.*

Euſebius ſcripſit de geſtis Diocletiani, Maxentii, Conſtantini. Claruit anno 312.

Eutropius Epitomen ſcripſit Cæſarum uſque ad Jovinianum. Claruit anno 340.

Ammianus Marcellinus ſcripſit de geſtis Conſtantii, Juliani, Joviniani, Valentiniani, & Valentis.

Trebellius Pollio ſcripſit de Imperio Valeriani, Galieni, Claudii, ac XXX. tyrannorum. Claruit anno 320.

Fl. Vopiſcus ſcripſit de vita Aureliani, Taciti, Floriani, Probi, Firmi, Saturnini, Proculi, Cari, Carini, Numeriani. Claruit anno 320. Pomponius Lætus ſcripſit de vita conſequentium Imperatorum à Gordiano uſque ad Heraclium. Claruit anno 1490.

Ælius Lampridius ſcripſit de vita Juliani, Commodi, Heliogabali & Severi.

Volcatius Terentianus ſcripſit hiſtoriam Gordianorum.

Oneſimus Cyprius, ſeu Spartiata, tempore Conſtantini Magni, ſcripſit Probi principis vitam. *Vopiſcus*.

Demarchus Cæſarienſis ſcripſit res geſtas Conſtantini principis libris x. H

Malchus Byzantius ſophiſta, ſcripſit hiſtoriam à Conſtantino uſque ad Anaſtaſium. *Svidas*.

Calliſtus ſcripſit heroico verſu hiſtoriam Juliani principis.

Anna Alexii Comneni F. Alexiados lib.20. rerum ab Alexio patre Imp. geſtarum ſcripſit, quibus Zonatæ narrationem perſequitur. Claruit anno Chriſti MCXXX.

Joannes Scylax, Conſtantinopolitanus, ſcripſit de Imperatoribus Conſtantinopolitanis. *Volat. lib.16. Anthrop.*

Baptiſta Egnatius ſcripſit de Cæſaribus uſque ad Carolum V. Claruit anno MDXL.

Turpinus Epiſcopus Rhemenſis ſcripſit de rebus geſtis Caroli Magni lib.1. Trithemius, de eodem, Anſeſgiſus, Hermoldus, Rodolfus Fuldenſis, Milo Augienſis, Georgius Turonenſis.

De Henrico ſexto Vvipo presbyter.

Henricus Smedenſtadius de Othone I. Jo. Olhafen de Sigiſmundo Imp. Friderico Barbaroſſa, & Henrico III.

Tageno

A Tageno hiſtoricus expeditionem Friderici Imperatoris in Aſiam, Theobaldi Bathavienſis Epiſcopi juſſu, deſcripſit. *Avent. lib.7.*

Otho Friſingenſis ſcripſit de geſtis Friderici Ænobarbi.

Scripſit Maximilianus Cæſar patria lingua, eadem manu, qua enſem tractavit, res proprias, Julium Cæſarem imitatus. Operi titulum fecit, Albus rex: quo omnia ejus bella graphicè deſcribuntur. Sed opus reliquit imperfectum. *Cuſpin.*

Priſcus Panites, magiſter epiſtolarum Theodoſii junioris, ſcripſit vitam Atilæ, libris 8. Sic etiam Nic. *Olaus.*

Petrus Perodinus, de Tamberlane rege Tartarorum.

Petrus Marcellus & Sylveſter Gyrellus de Ducibus Venetorum. Coriolanus Cepio de Petro Mocenico Veneto.

Æmundus de Ducibus Burgundiæ, Flandriæ, Brabantiæ, Hollandiæ, à Bello Trojano uſque ad Carolum V. Imp. Clar. anno MDXX.

Paulus Vergerius de geſtis Principum Mantuanorum. Claruit anno MDXL.

Carolus Stephanus ſcripſit epitomen Ducum Mediolanenſium.

B Michel Ritius ſcripſit de Regibus Francorum, Hiſpanorum, Neapolis, Siciliæ, Hungariæ, Hieroſolymæ. Claruit anno MDV.

Antonius Nebriſſenſis de geſtis Ferdinandi & Eliſabellæ regum. Carolus Ferardus, de iiſdem.

De Alfonſo rege Barth. Facius, Ant. Panormitanus, Æneas Sylvius, Bapt. Mantuanus.

Laurentius Valla de Ferdinando Aragonio.
Matthæus Caſtritius ſcripſit viros illuſtres Germaniæ.
Hadrianus Barlandus edidit vitam Ducum Brabantiæ.
Arnoldus Mylius ſcripſit vitas Regum Poloniæ.
Michael Voſmeer deſcripſit Comites Hollandiæ.
Cornelius Martini evulgavit vitas Comitum Flandriæ.
Antonius Vaſconcellius de Regibus Luſitaniæ.
Juſtus Amman vulgavit Reges Franciæ.
Nicolaus Clemens, Reges, & Duces Auſtraſiæ.

Jacobus Boiſſardus ſcripſit vitas Imperatorum Turcicorum.

Hieronymus Oſorius deſcripſit res Emanuelis R. Luſitaniæ.

C *Gentilium, hoc eſt Familiarum, ſive eorum qui ſunt gentis ejuſdem, ut Græcorum, Romanorum, Italorum, Germanorum.*

Plinius Junior, vel, ut alii putant, Cornelius Nepos, ſcripſit de Viris illuſtribus Romanis 77.

Plutarchus Cheronæus, Trajani, optimi principis, moderator, & in aula principum diutiſſimè verſatus, ad extremum etiam Iſtriæ præfectus, vitas Illuſtrium Græcorum & Latinorum ſcripſit. Quibus populorum maximè illuſtrium hiſtoriam complectitur, tametſi non perpetuam, ſed abruptam, & ad principum ſimilitudines accommodatam. Eſt in eo quod miremur, liberum de re quaque judicium, ut principum cenſor eſſe videatur. *Ioannes Bodin. Methodi hiſt. c.4.*

Jo. Bracellus ſcripſit de claris Genevenſibus.

Reinerus Reineccius noſtra ætate Familias Regias, hiſtoriis veterum hinc inde celebratas, incredibili labore, fide & dexteritate, juſto opere Tabularum Genealogicarum collegit & explicavit.

D

EXEMPLORUM RHAPSODI.

Ephorus Cumanus ſcripſit de Inventoribus rerum libros duos. *Svidas*.

Piſander Larandæus ſub Alexandro Mammeæ ſcripſit variam hiſtoriam libris 60.

Clearchus Solenſis ſcripſit de Varia hiſtoria.

Val. Maximus ſcripſit dicta & facta memorabilia, ad Tiberium Cæſarem.

Polyænus Macedo, & Julius Frontinus, de Stratagematis.

Ælianus Præneſtinus Sophiſta, cùm in Orationibus ſe minùs excellere poſſe videret, ad Συντάξεις ſeſe contulit, hoc eſt, ad varias lectiones ex optimis auctoribus concinnandas. *Philoſtratus*.

Lupoldus Epiſcopus Bambergenſis ſcripſit de veterum principum Germanorum erga religionem zelo. Claruit anno MCCCXL.

Ex recentioribus L. Domitius Bruſonius, Jo. Bapt. Campofulgoſus, M. Ant. Sabellicus, Jo. Bapt. Egnatius, M. Marulus Spalatenſis, Franc. Petrarcha, locos communes exemplorum ſcripſere. E
L. B. Theat. Vitæ Human. Tom. IV.

Andreas Eborenſis vulgavit exempla Sanctorum.

M. Marulus collegit per locos communes exempla Sanctorum.

Joannes Daveroultius feliciter collegit Catechiſmum hiſtoricorum, quatuor Tomis.

Juſtus Lipſius ſcripſit exempla & miracula B. Virg. Hallenſis, & Aſpricollis.

Fredericus Fornerus in ſua Palma Triumphali.

HISTORIÆ USUS.

QUI EX HISTORIA FRUCTUM PERCEPERE.

Reges.

Alexandro tot victoriarum cauſa fuit virtus Achillis ab Homero (ſine quo ne ſomnum quidem capiebat) ad Imperatoris F optimi exemplar efficta.

Claudianus Honorium Imp. ad Hiſtoriarum lectionem, principe viro maximè dignam, his verbis accendit:

Intereà Muſis animum dum mollior inſtet,
Et quæ mox imitere legas: nec deſinat unquam
Tecum Graja loqui, tecum Romana vetuſtas.
Antiquos evolve duces, aſſueſce futuræ
Militiæ, Latium retro te confer in ævum.
Libertas quæſita placet? mirabere Brutum.
Perfidiam damnas? Metii ſatiabere pœnis.
Triſte rigor nimius? Torquati deſpue mores.
Mors impenſa bonum? Decios venerare ruentes.
Vel ſolus quid fortis agat, te ponte ſoluto
Oppoſitus Cocles, Mutii te flamma docebit:
Quid mora perfringat, Fabius: quid rebus in arctis
Dux gerat, oſtendet Gallorum ſtrage Camillus.
Diſcitur hinc nullos meritis obſidere caſus.
Prorogat æternam feritas tibi Punica famam
Reguli: ſucceſſus ſuperant adverſa Catonis.
Diſcitur hinc, quantùm paupertas ſobria poſſit. G
Pauper Fabricius, Pyrrhi cùm vinceret arma:
Pauper Fabricius, Pyrrhi cùm ſperneret aurum.
Sordida Serranus flexit dictator aratra.

Selimus Turcarum princeps, cujus majores ab hiſtoria velut à fabulis ſemper abhorruerant, primus geſta C. Jul. Cæſaris in linguam vernaculam transferri curavit, ac ejus imitatione, brevi magnam Aſiæ minoris & Africæ partem cum Imperio majorum univit.

Carolum V. ad tantam gloriam extulit Ludovici XI. Regis Gallorum ab hiſtoria Comminei æmulatio. *Bodinus in proœmio Methodi hiſt.*

Duces.

P. Scipio Africanus cùm Cyropediam Xenophontis animo penitùs haberet comprehenſam, ex eaque omnes omnium virtutum ac laudum cumulos collegiſſet, tantus vir evaſit, ut non modò bellum ingens in Hiſpania (ſic enim Livius ſcribit) non alia de cauſa exarſerit, quàm ex admiratione Scipionis, aliorum Imperatorum orto contemptu: verùm etiam latronibus ipſius ſanctus & inviolatus extiterit. Cùm enim piratæ Linterni ad ejus villam adiiſſent, eoſque ab aditu, quaſi Scipioni vim H illaturos, ſervi ſtrenuè propulſarent: illi ſupplices à ſervis petierunt, ut ſibi divinum illum hominem contueri ac venerari liceret. Quod ille re intellecta permiſit, ut latronum barbariem (tametſi ne barbari eſſent, jam ſua virtute perfecerat) ad humanitatem revocaret. Hunc igitur veræ gloriæ fructum attulit hiſtoria Cyri majoris, non tam vera, quàm ad juſtiſſimi & fortiſſimi regis ideam expreſſa. *Idem*.

L. Lucullum Cicero ſcribit profectum Roma, rei militaris penè rudẽ, quum totum iter & navigationẽ conſumpſiſſet partim in percontando à peritis, partim in rebus geſtis legendis, in Aſiam veniſſe, factum Imperatorem tantum, ut Mithridates rex poſt Alexandrum maximus, hunc à ſe majorem ducem cognitum, quàm quenquam eorum quos legiſſet aut vidiſſet, confiteretur. *Lud. Vives de Trad. diſcip. lib.5.*

C. Jul. Cæſarem ad militarem virtutem impulit æmulatio Alexandri: cujus victorias cùm legeret, lacrymas uberiùs effudit, quòd ea ætate, qua ille terrarum orbem domuerat, nihil nondum geſſiſſet.

Mulieres.

Zenobiam Palmyrenorum reginam, ſupra muliebrem prudentiam hiſtoriæ cognitio extulit.

QUEM FRUCTUM, NEMpe quoad

ANIMUM.

Virtutis in genere.

Hiſtoria à Veteribus non ob id ſolùm excogitata fuit, ut res geſtæ litterarum monumentis conſecratæ, ab oblivionis injuria vindicarentur: ſed multò magis, ut exemplis hiſce mortales inſtructi, virtutes imitari, vitia declinare diſcerent. Itaque *Homerus Odyſ. θ.* ſub perſona Alcinoi, de expugnatione Ilii, quam Demodocus muſicus decantarat, ſic loquitur.

Τὸν δὲ θεοὶ μὲν τεῦξαν, ἐπεκλώσαντο δ' ὄλεθρον
Ἀνθρώποις, ἵνα ᾖσι καὶ ἐσσομένοισιν ἀοιδή.

Tanta eſt Dei immortalis erga mortale genus benignitas, ut cùm multa alia vitæ noſtræ rectè & liberaliter inſtituendæ adjumenta nobis conceſſerit, quotidianis etiam humanorum caſuum & actionum exemplis nos erudire & monere voluerit.

Narrat Plutarchus, L. Paulum Æmilium, qui devicit Perſen regem Macedonum, in ornanda vita ſua, & omni virtute expolienda diligentiſſ. ſolum tanquam in ſpeculum inſpicere in hiſtoriam, atque ita ſtudiosè ſemper conatum eſſe imitari virtutes & præclara facta eorum, qui illic laudati forent. *Victor. lib.38. Var. lect. c.5.*

Fortitudinis.

Bello piratico contra Rugianos à Danis ſuſcepto, Lucas Chriſtophori Valdemari Danorum regis F. ſcriba, natione Britannus, literis quidem tenuiter inſtructus, ſed hiſtoriarum ſcientia apprimè eruditus, cùm fractos Danorum animos videret ob adverſam pugnam, memoratis veterum virtutibus, eos ad exigendam ultionem concitavit. *Saxo lib.14.*

Tranquillitatis animi.

Ser. Sulpitius Ciceronem de obitu Tulliæ filiæ conſolans, inter cætera ſic ſcribit, *lib.4. Epiſt.5.* Quæ res mihi non mediocrem conſolationem attulit, volo tibi commemorare, ſi fortè eadem res tibi dolorem minuere poſſet. Ex Aſia rediens, cùm ad Ægina Megaram, verſus navigarem, cœpi regiones circumcirca proſpicere: poſt me erat Ægina, ante Megara, dextra Piræus, ſiniſtra Corinthus: quæ oppida quodam tempore florentiſſima fuerunt, nunc proſtrata & diruta ante oculos jacent. Cœpi egomet mecum ſic cogitare: Hem nos homunculi indignamur, ſi quis noſtrum interiit aut occiſus eſt, quorum vita brevior eſſe debet, cùm uno loco tot oppidorùm cadavera projecta jacent: viſne tu te Servi cohibere, & meminiſſe hominem te eſſe natum? Crede mihi, cogitatione ea non mediocriter ſum confirmatus. Hoc idem, ſi tibi videtur, fac ante oculos tibi proponas: modò uno tempore tot viri clariſſimi interierunt, de Imperio prætereà tanta facta eſt diminutio, omnes provinciæ conquaſſatæ ſunt: in unius muliercculæ anima ſi jactura facta eſt, tantoperè commoveris? quæ ſi hoc tempore non diem ſuum obiiſſet, paucis pòſt annis tamen ei moriendum fuit, quoniam homo erat.

CORPUS. NEMPE

Valetudinis.

Hiſtoriarum voluptas eſt ejuſmodi, ut omnibus interdum corporis & animi morbis ſola medeatur. Teſtes ſunt, ut alios omittam, Alphonſus ac Ferdinandus Hiſpaniæ & Siciliæ reges: quorum alter à T. Livio, alter à Q. Curtio valetudinem amiſſam, quam à medicis non poterant, lectionis ſuavitate recuperarunt. Teſtis eſt etiam Laurentius Medices (is qui litterarum parens uſurpatur) qui ſine ullis medicamentis (quanquam hiſtoria ſalutare eſt medicamentum) à morbo convaluiſſe dicitur, ex ejus hiſtoriæ narratione, quæ fertur de Conrado III. Imp. qui cùm Guelphum Bavariæ ducem obſidione diuturna fregiſſet, nec ullis conditionibus à propoſita ſuſceptaque urbis everſione deduceretur: ad extremum victus nobilium fœminarum precibus, permiſit, ut inviolatæ abirent, ea lege, ut nihil ex urbe, niſi quod humeris poſſent, exportarent. Tum illæ, confidentia majore dicam an pietate, ducem ipſum, maritos, liberos, parentes, ab humeris ſuſpenſos geſtare cœperunt. Ex quo Imperator tantam voluptatem cepit, ut effuſis præ gaudio lacrymis, non modò feritatem & iracundiam ex animo penitùs depoſuerit, verùm etiam urbi pepercerit, & amicitiam cum hoſte omnium acerrimo contraxerit. *Bodinus in prœmio.*

HISTORICA EXERCITATIO, TUM QUOAD NARRATIONEM.

☞ *In Hiſtoria rerum in primis, deinde etiam verborum habenda eſt cura. Rerum quidem, ut res geſtæ ita deſcribantur, ut geſta ſunt, omnium circumſtantiarum diligenti & exquiſita ratione habita. Veritas igitur in Hiſtorico potiſſimum requiritur: alioqui non Hiſtoriam, ſed fabuloſam narrationem ſcribet. Verborum verò cura ſecundo loco eſſe debet, ſive proſa, ſive carmine ſcripto inſtituatur. Malos proinde hiſtoricos eos appellamus, qui in rebus geſtis deſcribendis vel negligentes & mendaces (ſive id fiat ignorantia, ſive malevolentia) vel inepti & obſcuri fuerunt: quorum illud materiæ vitium eſt, hoc formæ.*

VERI HISTORICI.

Joſephus, Philonis Judæi æqualis, laude quidem Philoſophiæ ſecretioris inferior, antiquitatis tamen cognitione longè ſuperior fuit. Miratur Hieronymus, tantum Græcæ antiquitatis in homine Judæo fuiſſe. Id autem ex libris ejus contra Appionem Grammaticum intelligi poteſt, in quibus ſcripta Moyſis (tametſi ad fidem faciendam ſe ipſa contenta eſt) Græcorum, Perſarum, Ægyptiorum & Chaldæorum teſtimoniis ita confirmavit, ut nihil ad origines intelligendas utilius ſcriptum eſſe videatur. Quæ verò de hominum ætatibus à Moyſe prodita ſunt, ne cuiquam incredibilia viderentur, duodecim hiſtoricorum auctoritate confirmavit. Populum verò Hebræorum antiquitate, fide, religione, doctrina, integritate populis omnibus ſuperiorem facit: non tantùm ut gloriam ſuorum civium intermortuam, ſed etiam ut rei veritatem ab oblivione vindicaret. Nam ex ejus ſcriptis, Herodoti, Diodori, ac Juſtini fabulæ refutari facilè poſſunt. In eo certè fuerunt hiſtorici virtutes præclaræ, ſumma eruditio, eximia integritas, & maximus rerum agendarum uſus. Quanta verò integritate ac fide ſcripſerit, ex eo planum eſt, quòd qui religione Judæus eſſet, de Chriſto grave in primis ac laudabile teſtimonium tulit. *Joannes Bodinus in Method. hiſtor.*

Simplicius philoſophus, interpres Ariſtotelis, tametſi Hebræorum & Chriſtianorum ſe acerrimum hoſtem præbet, præſertim ubi Proclum adversùs Chriſtianos tuetur: nihilominùs in Commentariis libri primi de Cœlo teſtatum reliquit Ariſtotelem literas ad Calliſthenem dediſſe, ut tantiſper Chaldæorum antiquitates ac monimenta conquireret, dum alii prædæ intenti Babylonem diriperent. Tum Calliſthenem reſcripſiſſe, conquiſita diligenter à ſe Chaldæorum munimenta, ſeque reperiſſe hiſtoriam annorum 194. qui numerus ad unguem congruit cum ſacra hiſtoria Moyſis & Philonis, ſi ab Alexandro Magno regrediamur ad illud tempus, quo primùm diſperſos tradit Noe filios in orbem terrarum, ac Sem gentem in terra Sennaar, ad Orientem Armeniæ, in qua navis illa ſalutaris conſtiterat, ſedes quæſiiſſe. *Ibid. c.8.*

Quòd Athenienſes querebantur, Thucydidem multa in gratiam Lacedæmoniorum ſcripſiſſe, magnum veri ſcriptoris teſtimonium tulerunt. Cùm enim Athenienſis fuerit, non Lacedæmonius, & legationes in bello Peloponneſiaco ac præturas obierit, magiſque opibus & regia ſtirpe clarus extiterit, tum etiam res ipſas velut è ſpecula viderit, & magnis ſumptibus ingenioſos exploratores ad inquirendam rei veritatem aluerit, poſtremò ſpirantibus iis qui rebus interfuerant, ſua ſcripta in libera civitate judicanda propoſuerit, quis ejus hiſtoriæ fidem elevaret? Neque verò Lacedæmoniis ita favit, ut ſuorum civium penitùs obliviſceretur: à quibus tametſi erat in exilium relegatus, cùm hiſtoriam ſcriberet, ſui tamen exilii auctorem atque adverſariorum omnium maximum Periclem, non modò à calumniis vindicavit, ſed etiam mortuum tantis laudibus cumulavit, ut ejus interitu Rempub. interituram veriſſimè auguraretur. *Idem.*

MENDACES HISTORICI, OB MALIGNITATEM, vel ignorantiam.

☞ *Malignæ narrationis veſtigia & notæ ſunt ferè quatuor. Primùm, qui vocabula & verba, quando ſuppetunt leniora, uſurpat in exponendis rebus geſtis atrociſſima quæque, ceu ſi cùm ſuperſtitioni plus ſatis mancipatum dicere liceat Niciā, quis fanaticum appellet: vel audaciam & furorem Cleonis citiùs quam in dicendo levitatem reprehendat. Deinde ſi quis vitium, quod tamen eſt ab hiſtoria alienum, vellicet, & rebus inculcet, cum res non poſtulet. Quare Thucydides nec Cleonis*

midet oratio. Quidni verò liceat, philoſophica præſertim cenſura res geſtas examinanti, minutim ſingula proſequi? Qui his offenduntur, offendentur multò magis ſcelerum narratione in Tragœdiis fieri ſolita.

Horatius *lib.2. Ode* 1. deterret Aſinium Pollionem, qui de Dalmatis triumphavit, virum eruditiſſ. & ornatiſſ. à ſcribenda hiſtoria belli civilis inter Cæſarem & Pompejum: quòd id adhuc minùs tutum eſſet.

Judas ſub Pertinace Hiſtoriographiam ſuperiorum temporum uſque ad decimum Severi annum conſcripſit: in qua tamen erroris arguitur, quòd adventum Antichriſti ſuis temporibus futurum dixerit: in quem errorem ideò incurriſſe putamus, quòd & vitia hominum & crudelitatem eò perveniſſe cerneret, ut diutiùs tolerari humanum genus à Deo non poſſet: quæ res & Lactantium poſtea & Auguſtinum fefellit. *Platina.*

HISTORIÆ STUDIUM, AMOR, CULTUS. RESPECTU ARTIS, HISTORIAS

Scribendo.

Pontificibus Rom. permiſſa erat poteſtas memoriam rerum geſtarum in tabulas conferendi, & hos Annales vocant maximos, quaſi à Pontificibus maximis factos. Sub Q. Mutio Scævola hic mos deſiit. *Macrob. lib. Saturn. c.2.*

M. Brutus in medio ardore belli civilis, paulò antè quam pugnatum eſt in campis Pharſalicis, cùm in caſtris Pompeji eſſet, epitomen ſcriptorum Polybii confecit. *Victorius lib.21. Var. lect. c.1.*

Cn. Aufidius, civis Rom. vir honeſtus, & cæcus, Græcam ſcribebat hiſtoriam, & videbat in litteris: quamvis enim careret ſenſu oculorum, nec album colorem ab atro diſtinguere poſſet, acie tamen ingenii menteque verum à falſo in ſtudio illo ſuo ſcribendæ hiſtoriæ, omnique re, quæ ad literas pertineret, dijudicabat. *Cic. lib.5. Tuſcul.*

Claudius Cæſar hiſtoriam in adoleſcentia, hortante Tito Livio, Sulpitio verò Flavo etiam adjuvante, ſcribere aggreſſus eſt. Et cùm primùm frequenti auditorio commiſiſſet, ægrè perlegit, refrigeratus ſæpè è ſemetipſo. Nam cùm initio recitationis, defractis compluribus ſubſelliis obeſitate cujuſdam, riſus exortus eſſet; ne ſedato quidem tumultu temperare potuit, quin ex intervallo ſubinde facti reminiſceretur, cachinoſque revocaret. In principatu quoque & ſcripſit plurimùm, & aſſiduè recitavit per lectorem. Initium autem ſumpſit hiſtoriæ poſt cædem Cæſaris Dictatoris. Sed & tranſiit ad inferiora tempora, cœpitque à pace civili. Compoſuit & de vita ſua octo volumina, magis ineptè, quàm ineleganter. Item Ciceronis defenſionem adversùs Aſinii Galli libros, ſatis eruditam. *Sveton.*

Nero Cæſar cogitans de rebus geſtis Rom. verſibus ſcribere, evolvit magnum numerum librorum, antequam aliquid componeret. *Dion. & Sveton.*

Carolus magnus Imp. Teutonica & antiquiſſima carmina, quibus Heroum (ſicuti mos eſt Germanorum) geſta canuntur, ſcripſit, & memoriæ mandavit. *Avent. lib.4. Annalium Bojorum.*

Dani veteres, non ſolùm rerum à ſe magnificè geſtarum titulos exquiſito contextus genere, veluti poetico quodam opere, perſtrinxere; verùm etiam majorum acta patrii ſermonis carminibus vulgata, linguæ ſuæ litteris, ſaxis ac rupibus inſculpenda curavere. Quibus ceu quibuſdam antiquitatis voluminibus Saxo Grammaticus, in ſua hiſtoria, metra metris reddendo frequenter utitur.

Committendo ut ſcribantur.

Apud Hebræos ſummum hiſtoriarum ſtudium fuit, cùm non quibuslibet, ſed pontificibus tantùm ea cura committeretur, & prophetis. Id quod monumenta ipſorum teſtantur, numero pauciſſima, & inter ſe conſentientia. *Joſephus lib.1. contra Apionem.*

Davidis regis Judæorum à commentariis fuit Joſaphat, Archilud F. qui res geſtas deſcriberet. 2. *Regum* 8.

Conſtantinus, Conſtantii Pii F. Imp. Romanorum principum hiſtorias memoriæ literarum commendandas curavit: per Tatium Cyrillum è Græcis in Latinam linguam verti juſſit. *Avent. lib.2. Annalium Bojorum.*

Clemens I. regiones ſeptem notariis diviſit, qui diligenter res martyrum geſtas ſcriberent: ſed illud poſtea Antherus ſtabilius reddidit, & in ærario Eccleſiæ recondi curavit, occaſione ſumpta à Maximo martyre, qui ſub Maximino paſſus eſt. *L. B. Theat. vit. Human. Tom. IV.*

Quod ſicut Clementis & Atheri fuit inſtitutum, ita fieri potuit, ut ſucceſſorum incuria intermiſſum, à Julio I. fuerit renovatum. Et hæc Protonotariorum origo. Reperio etiam, Fabianum ſub Decio, qui Anthero ſucceſſit, & Cajum deinde regiones diviſiſſe ſeptem diaconis, qui itidem geſta martyrum literis mandarent: extraordinarii verò ſine numero à Pontifice gratuitò creati, qui ejus dignitatis privilegiis perinde gaudent, atque alii. Omnes equitando pileo utuntur nigro, ut à Cardinalibus & Epiſcopis per hoc inſigne internoſcantur, quando æquè omnes lineam togam induunt. *Polyd. lib.4. c. 11. de rerum invent. & Platina in Julio I.*

Carolus Magnus omnium nationum, quæ illi ſubeſſent, memorabilia geſta, quæ ſcripta non erant, ſcribi & memoriæ mandari juſſit. *Crantz. lib.2. Saxon. c.8.*

Paulus Diaconus vetuſtiſſimis exemplaribus, ſanctiſque auctoribus, imperio opeque Caroli Magni undique conquiſitis, martyrum vitas mortemque ac cæterorum Divorum ſumma brevitate perſtrinxit in templis legendas.

Anaſtaſius, vir utraque lingua doctiſſimus (quod ejus ſcripta ſatis probant) ob inſignem eruditionem Carolo ſecundo, cujus inſtinctu hiſtoriam Eccleſiaſticam ſcripſit ad ſua tempora in primis charus fuit. *Volat. lib.13. Antrop.*

Eugenius VII. Scotorum rex, primus hiſtoriæ Scotorum conſcribendæ curam viris doctiſſimis dedit, eamque in Jona inſula, conſtructa ejus rei ergo bibliotheca, repoſuit. *Hector. Boethius lib.9.*

Mahometus II. Turcorum Imp. excellentes in quavis arte viros ſummoperè dilexit. Impenſiſſimè curavit, ut victoriæ quibus ipſæ potitus fuerat, à doctis atque judicio præditis hominibus conſcriberentur: Antiquorum verò hiſtorias continuò legere conſueverat. Joannem Mariam Vicentinum, Muſtaphæ primogeniti ſui ſervum, maximis excepit blanditiis, quòd victoriam, quam ipſe de Uſuncaſſano Perſiæ rege reportarat, Turcico ſermone, atque item Italico literis mandaſſet. *Jovius in ejus vita.*

Maximilianus I. Imp. primus inter omnes Principes, ſingulorum genealogias indagavit, miſſis per Italiam, Franciam & Germaniam nunciis, qui omnia cœnobia, omnes bibliothecas, omnia archiva Principum diſquirerent, evolverent, ac perſcrutarentur. Atque ob id Annales ſingularum provinciarum, qui ſitu ac ſqualore corrupti à tineis abſumebantur, ejus opera revixerunt, & in lucem commigrarunt. Sæpè de imperitia Germanicorum hiſtoricorum conqueri ſolitus, qui tam præclarorum & prudentum principum, quos Deus huic nationi donaſſet, res geſtas non ſolùm nullo ordine conſcripſiſſent, ſed corrupiſſent etiam malè ſcribendo. *Aventinus lib. 1. Cuſpinianus.*

Ille idem, more majorum fabulis res geſtas ſuas velavit, & omnem vitæ ſuæ ſeriem carminibus, & patriis, & Latinis nominibus confictis, celebrandum curavit, Teurodancum vocant. *Idem.*

Notando.

Peruani chordis verſicoloribus, multiſque nodis inſignitis, & artificio ſingulari contextis, quarum domus ſunt perplenæ, multorum ſæculorum ſeriem ſolerter involutam, ſine ulla hæſitatione exprimunt. *Joan. Metellus.*

Legendo.

Lacedæmonii librum Cicæarchi Miſſenii de Rep. Spartiatarum quotannis in Ephororum prætorio puberibus auſcultantibus recitari curabant. *Svidas.*

Magnus Sfortia totum id otium, quod ex negotio ſupereſſet, impendebat hiſtoriis, quas è Græcis Latiniſque ſcriptoribus traductas lectitare erat ſolitus, invitatis liberalitate ad id munus ſuſcipiendum literatis, in quibus fuit Procelii poetæ pater, ob translatos Cæſarem & Salluſtium honeſtè donatus. *Jovius in ejus vita.*

Audiendo.

Carolo Magno Imp. in cœna & prandio legebantur hiſtoriæ antiquorum præclaræ. *Cranz. lib. 2. Saxon. c.8.*

Philippus Vicecomes oblectabat ſeſe hiſtoriarum lectione, quarum Antonius Panormita. literarum nomine, præcipuo in honore habitus, aliquandiu fuit anagnoſtes. *Jovius in Philippo.*

* Memorat Plinius Junior de ſeipſo, *lib.9. Epiſt. Ep.27.* ſequentem narrationem: Quanta poteſtas, quanta dignitas, quanta majeſtas, quantum denique numen ſit hiſtoriæ, cum

frequenter alias, tum proximè ſenſi. Recitaverat quidem veriſſimum librum, partemque ejus in aliam diem reſervaverat: ecce amici cujuſdam orantes obſecranteſque, ne reliqua recitaret: tantus audiendi quæ fecerint pudor, quibus nullus faciendi quæ audire erubeſcunt: & ille quidem præſtitit quod rogabatur: ſinebat fides, liber tamen, ut factum ipſum manet, manebit, legeturque ſemper, tantò magis quia non ſtatim; incitantur enim homines ad agnoſcenda quæ differuntur.

Ediſcendo.

Tylenſes, cùm ob nativam ſoli ſterilitatem luxuriæ nutrimentis carentes, officia continuæ ſobrietatis exerceant, omniaque vitæ momenta ad excolendam alienorum operum notitiam conferre ſoleant, inopiam ingenio penſant. Cunctarum quippè nationum res geſtas cognoſſe, memoriæque mandare, voluptatis loco reputant: non minoris gloriæ judicantes, alienas virtutes recenſere, quàm proprias exhibere. E quorum theſauris Saxo Grammaticus haud parvam Daniæ ſuæ partem contexuit.

Conſulendo.

ALEXANDER Severus Imp. in rebus dubiis hiſtoriæ gnaros ſolitus erat conſulere. *Lampridius.*

ARTIFICIUM. HISTORICOS
Ornando.

Megalopoli Arcadiæ in foro à tergo ſepti ejus, quod eſt Jovi Lycæo dicatum, pilæ inſiſtit Polybius, Lycortæ filius, cum inſcriptione: quæ Elegis indicat, vagatum illum eſſe per terras, & maria omnia: amicum & ſocium Romanorum fuiſſe, quos etiam iratos Græcis placarit. Scripſit hic & alias res geſtas P. R. & bella cum Cartaginenſibus ſuſcepta. Præceptor fuit P. Scipionis Africani. *Pauſan. in Arcad.*

Tacitus Imp. Cornelium Tacitum, ſcriptorem hiſtoriæ Auguſtæ, quòd gentilem ſuum eumdem diceret, in omnibus bibliothecis collocari juſſit: & ne lectorum incuria deperiret, librum per annos ſingulos decies ſcribi pollicitus, in cunctis archivis juſſit & in bibliothecis poni. *Vopiſcus, & Sabellicus lib.7. En.7.*

Cn. Pompejus Magnus, Theophanem Mitylenæum rerum ſuarum ſcriptorem in concione militum civitate donavit, omnibus illud factum approbantibus. *Cic. pro Archia.*

Dionyſius Mileſius hiſtoricus & ſophiſta, ob mirabiles ingenii dotes Hadriano principi tam acceptus fuit, ut inter ſatrapas equiteſque non vulgares numeratus ſit, & particeps menſæ, quæ omnes in toto terrarum orbe præclaros viros continebat. *Philoſtratus in Sophiſtis.*

Arrianus, qui hiſtoriam Alexandri Magni ſcripſit, ab Hadriano & M. Antonio principibus, ob literas, honoribus conſularibus affectus eſt. *Heliconius apud Volaterranum.*

Petrus Lauretanus Venetus, Imperator prudentiſſ. multiſque clarus victoriis, Fl. Blondi Forojulienſis hiſtorici eruditionem admiratus, ampliſſimis muneribus Brixiam pertraxit, ſibique illum à ſecretis eſſe voluit, & præter alia ornamenta civitate etiam Veneta donandum curavit. *Egn. lib.4. c.7.*

Fovendo, Complectendo.

Athenienſes Thucydidem Imperatorem in exilium egere: ac rerum ſuarum ſcriptorem ab exilio revocavere, eloquentiam mirati, cujus virtutem damnaverant. *Plin. lib.7. c.30.*

L. Lucullus uſque eò de ſuis rebus ſcribi cupiebat, ut etiam Cordubæ natis poetis, pingue quiddam ſonantibus atque peregrinum, tamen aures ſuas dederit. *Cic. pro Archia.*

C. Marius Ruſticanus, quamvis in ſtudiis literarum non eſſet verſatus, literatos tamen homines dilexit: poetas præſertim, à quibus res ſuas geſtas immortalitate donandas eſſe ſperabat. Itaque L. Plotium eximiè dilexit, & A. Licinium Archiam familiarem habuit. *Idem.*

Julianus Apoſtata contra Conſtantium movens, Sex. Victorem, ſcriptorem hiſtoriarum, Syrmio ſecum deductum, Pannoniæ ſecundæ Conſularem præfecit. *Sigon. lib.6. Imp. occid.*

Paulum Longobardum, Aquilejenſis Eccleſiæ Diaconum, genere nobilem, ſed literis clariorem, Deſiderius Longobardorum rex cùm regnaret, ſummè dilexit, ingenio ejus eruditioneque delectatus: & Carolus Magnus ob eaſdem animi dotes in intimam familiaritatem, capto Deſiderio, admiſit. Cæterùm cum deprehendiſſet, eum agitare conſilia Deſiderii ducendi è finibus exilii, cujus florentis fortunæ particeps fuiſſet, procul ab illo in Diomedis inſulas eum ablegavit: unde ad Aragiſium Deſiderii generum, Beneventanorum ducem, confugit. Nec tunc docto viro in tali cauſa apud mitiſſimum regem Carolum fraudi fuit, exilii terminis diſceſſiſſe, cùm proceres ſuaderent, ne impunita audacia contumaciaque abiret: & Pipinus judicium Patris ſecutus, ejus rei veniam Duci dedit. Paulus Aragiſi & Adelbergæ uxoris rogatu ad conſcribendas hiſtorias rediit, à fine Eutropii exorſus res Romanas, ſeparatim Longobardicas complexus. Mortuo Aragiſio, in Caſſionatium cœnobium ſe ultrò relegavit, reliquamque vitam ſanctiſſimè tranſegit. *Æmil. lib.2. & Platina.*

Præmiis afficiendo.

Fl. Joſephus, Galilææ præfectus, hiſtoricus clariſſimus, captus à Tito Veſpaſiano, virtute ſua Imperatorem ita ſibi devinxit, ut cùm Hieroſolymas Titus exſcinderet, liberum ei fecerit, quicquid vellet, ex ruinis patriæ eripere. At is nihil aliud quàm ſacros codices, fratris vitam, cum L. amicis, ſibi donari petiit. Quinetiam cùm in templo numeroſa turba Judæorum incluſa eſſet, CXC. illorum amicitia ſibi devinctorum liberavit, abſque ullo precio. Præterea pro iis agris, quos in agro Hieroſolymitano poſſederat, alios commodiores in Judæa aſſignavit. Quorum immunitatem Domitianus poſtea confirmavit. Ædes, quas Titus ante principatum inhabitarat, ei dono dedit cum annua penſione. Et honores propter eruditionem cum pari prudentia & integritate conſequutus eſt: adeò ut Titus libros illius hiſtoricos ſigillo ſuo munitos in bibliotheca publicarit, ut omnium lectioni & judicio expoſiti eſſent. Teſtatur ipſemet in vita ſua.

Vir quidam haud ignobili genere natus, montana Scotiæ inhabitans, contextam à ſe Genealogiam regum Scotiæ omnium, ad parentem uſque gentis Gathelum, memoriter recitavit. Quem rex Alexander III. ampliſſimè donatum ex conſilio gubernatorum domum remiſit. *H. Boetius lib.13.*

HISTORIÆ CONTEMPTUS, ODIUM, NEGLECTUS.

Sacerdos Ægyptius Solonem & Græcos, qui recordationem priſcæ memoriæ non tenerent, pueros appellavit. *Ludovicus Vives de tradendis Diſciplinis lib.5. ex Platonis Timæo.*

Apud Romanos ſuper templo Saturni Tritones eximiæ magnitudinis fuere collocati, qui buccinam inflabant, quoties oriebatur ventus, caudamque intra terram occultabant. Per illum ſignificari tradiderunt nonnulli, res geſtas ante Saturnum ſilentio fuiſſe involutas: at poſt imperium Saturni, clariſſima hiſtoriographorum voce fuiſſe celebratas. *Macrobius lib.1. Saturn. c.8.*

Turcæ nullam antiquitatis memoriam habere feruntur, quòd putant hiſtorias ab iis ſcribi non poſſe, qui alienam fidem ſequuntur: multò minùs ab illis, qui rebus affuerunt aut præfuerunt, cùm de ſeipſis multa mentiantur, aut Principum metu, vel præmiis, vel odio diſtracti, à vero deflectant. *Bodinus Method. hiſt. c.4.*

Habuerunt certos annales Judæi, quos Verba dierum appellabant, quibus ſingularum tribuum genealogiæ deſcribebantur, *ſicut ex 1. lib. Eſdræ, c.2. & tertio lib.5.* colligere eſt: quos rex Herodes nato Chriſto, ut verum regiæ ſtirpis ordinem confunderet, ſuſtuliſſe creditur. *Niceph. lib.1. hiſt. c.11.*

Eduardus I. Anglorum rex, ſubacta Scotia, omnes conſuetudines veteres Scotorum abolere ſtatuit, ut unà cum moribus etiam animi cum Anglis coaleſcerent. Hiſtorias omnes Scotorum, omnia ſacrarum juxtà & profanarum rerum volumina concremari ubique præcepit, magna decreta pœna illi qui præceptum contempſiſſet. Libros ſacros Anglico ritu conſcribi juſſit, eoſque ſolos haberi edixit. Quotquot verò eruditionis erant uſquam nomine clari, quorum haud paucos tum Scotia alebat, Oxonium relegavit: ne illorum inſtitutione effecti ſapientiores, jugum rejicerent. E regione Camuloduni, quæ olim regia fuerat Pictorum, conſpecto Claudii Cæſaris Victoriæque pervetuſto templo, quod ad Coronam amnem à Veſpaſiano olim ædificatum adhuc ſtabat, vetuſtate conſpicuum, vel hoc bonis Scotis invidens, delere præcepit. Sed incolis antiquitates ſuas adamantibus, neque extemplò præceptum perficientibus, mutato ſtatim conſilio, parietibus & tecto templi vitam dedit: cæterùm monumenta Cæſaris omnia deleri voluit, & ablato lapide, ubi Claudii Victoriæque inſculptum nomen erat, Arturi olim Anglorum regis nomen inſcribi juſſit, atque illius vocari regiam; quod & in hanc uſque noſtram memoriam tenet vernacula Scotorum lingua Arturi, Hof

nis offas, quamvis multæ eſſent, traduxit in ſcriptis ſuis: atque Hyperbolum concionatorem contentus fuit verbo uno attigiſſe, & improbum hominem appellaſſe. Philippus etiam Dionyſii admiſſas in barbaros injurias, quæ rebus Græcorum non cohærebant, omnes prætermiſit. Quippè digreſſiones & excurſiones fabulis potiſſimùm conceduntur & originibus. Tertium, qui laudibus contexit probra & labes: aut qui egregiè & rectè factum aliquod omittit malignè. Quartum, quando duæ ſunt vel plures eadem de re famæ, aſtipulari duriori. At complures deteriora etiam ſemel prætereunt: ceu de Themiſtocle Ephorus poſtquam expoſuit, non inſcium fuiſſe Pauſaniæ proditionis, eorumque hic cum regis ducibus tractabat: Cæterum non potuit, inquit, adduci, neque accepit eas, quas ſecum participabat, & ad quas incitabat ipſum, ſpes. Thucydides hanc rem, quod eam non reciperet, prorſus prætermiſit. Sic Comici, bello à Pericle ſubditas faces fuiſſe Aſpaſiæ vel Phidiæ gratia, perhibent, non ambitione potiùs atque æmulatione ad ſpiritus infringendos Lacedæmoniorum, & quo nulla in re concedere vellet Lacedæmoniis. Sic Alexandri tyranni patratam à Thebe cædem, non magnanimitati neque odio improbitatis, ſed æmulationi & ægritudini muliebri quidam aſſignavit: & Catonem ſibi ipſi manus intuliſſe, quòd formidaret, ne à Cæſare cum contumelia interficeretur. Malignum etiam eſt, ſi pecunia oſtendat, non virtute rem confectam (ut à Philippo nonnulli tradunt) ſi nullo cum labore & facile (ut ab Alexandro) ſi non prudenter, ſed feliciter (ut à Timotheo inimici, qui in tabulis pingebant naſſam ipſos ſternentē ingredientes.) Obliquè enim velut ex occulto ut tela ingerunt calumnias: inde circumveniunt à tergo & diſſimulant, dum credere negant ſe, quæ magnoperè cupiunt credi. His affines ſunt, qui maculis laudes aliquas adſpergunt: ſicut Ariſtoxenus, cum indoctum Socratem pariterque rudem & laſcivum appellaſſet, ſubjecit: Cæterùm nullo ſcelere fuit contactus. Plutarchus de Herodoti malign.

Græcorum in hiſtoriis vetuſtioribus imperitiam *Joſephus lib.1. contra Apionem* in duas cauſas refert. Altera, quòd ſerò ad publicas res commentandas, propter literarum ignorantiam, acceſſerint, & poſteris metiendi poteſtatem, vetus aliquid ſcribere volentibus, ampliſſimam fecerint. Nam & apud Athenienſes, qui ſe indigenas & diſciplinarum cultores profitentur, publicarum literarum antiquiſſimæ fuerunt habitæ Draconis leges, paulò ante Piſiſtrati tyrannidem. Altera, quòd privati homines gloriæ, non veritatis ſtudio, ad res ſcribendas aggreſſi, pro ſuo quiſque ingenio multa confixerunt, ut ab aliis diſcrepando vel acriores viderentur. Itaque mira eſt hiſtoriarum contrarietas. Hellanicus Acuſilaum in genealogiis corrigit, Heſiodum Acuſilaus, Ephorus Hellanicum, Timæus Ephorum, Timæum poſteriores, Herodotum Manethon Ægyptius, & plerique alii. At apud Phœnices, Ægyptios, Caldæos & Judæos, cùm literæ fuerint antiquiſſimæ, & ſummum hiſtoriæ ſtudium (apud Judæos enim hæc cura penes Pontifices, qui familiarum ſucceſſione creabantur, & prophetas, fuit) ſummus eſt hiſtoriarum conſenſus, & hiſtoriæ veritas, librorum paucitas, cùm veritas una tantùm eſſe poſſit.

Antiochus Epiphanes Syriæ rex, cùm præter omne fas templum Hieroſolymitanum ſacrilegio expilaſſet: adulatores quidam Hiſtorici, ut latebram ſacrilegio invenirent, auſi ſunt aſſerere, Antiochum in templi penetralibus hominem Græcum in lectulo decumbentem reperiſſe, omni lautiſſimorum ciborum genere juxtà poſito: quem ſaginatum in ſylva quadam ſolemni more ſacrificaturi eſſent, & ex ejus viſceribus guſtaturi, jurejurando facto, perpetuas ſe cum Græcis inimicitias habituros. Verùm mendacium hoc pulchrè diluit. *Joſephus lib.2. contra Apionem.*

Veteres Poetæ rei veritatem à majoribus acceptam ad fabulas inanes tranſtulerunt. Nam Noe Janus ab illis eſt appellatus, quòd vinum, Jain Hebræis dictum, inveniſſe diceretur. Illud quod ſacræ Scripturæ de Cham, qui patris pudenda revelavit, ad Jovem traduxerunt: alii ad Saturnum, quòd alteruter Patris genitalia exſecuiſſet. At Hebræorum plerique interpretes de Cham idipſum prodiderunt, ut ſcribit Rabi Levi *ad Geneſ. c.9.* Conſimilis eſt hiſtoria Gigantum, & Androgyni, quam omnes Hebræorum interpretes veriſſimam eſſe ajunt, Plato ad fabulas detorſit. *Jo. Bodinus Methodi hiſt. c.8.*

Nicolaus Damaſcenus, Herodis Judæorum regis res geſtas ſcripſit, regis captans gratiam, & ea tantùm attingens, quæ ad gloriam illius pertinere viſa ſunt. Multa ejus apertè injuſta facinora, aut alia ſpecie afficta fucavit, aut quantum potuit occultare ſtuduit: quandoquidem etiam crudelitatis in Mariamnem ac filios ſpecioſam cauſam aſtruere conatur, illam impudicitiæ, hos inſidiarum patri paratarum inſimulans: & hoc toto opere facit perpetuò, quæ rectè ac juſtè Rex geſſit, nimis extollens laudibus, contraria verò diligenter excuſans. *Joſephus lib.16. c.11.*

De Trojano bello quàm incerta ſit & varia Hiſtoricorum narratio, oſtendit *Sabell. lib.7. Ennead.1. ex Dione Pruſienſi, Herodoto, & Darete Phrygio.*

Univerſi Indiæ ſcriptores ut plurimùm falſa locuti ſunt. Egregiè verò Deimachus, & Megaſtenes, qui homines in aure cubantes, & oris & naris expertes, ſcriptis tradunt, ſimul & monoculos, & tibiis proceros, & digitis retrò inverſis. Innovarunt etiam Pygmæorum adversùs grues decantata pridem ab Homero prælia: trium etiam palmorum homines ajunt. Iſti prætereà formicas aurum effodientes, & Panas cuneato capite ſerpentes, qui boves & cervos unà cum cornibus deglutiant. De quibus unus alterum redarguit. Nam miſſi fuerant ad Palimbothra legati Megaſthenes quidem ad Andracotum, Deimachus verò ad Allitrochaden ejus filium. *Strabo lib.2.*

Ariſtobulus poeta res geſtas Alexandri ſcripſit, & Hermodotus Antigoni, parùm fidi in hiſtoria. *Giraldus Dial.3. de Hiſtor. poet. & Cælius lib.21. cap.33. Antiq. lect. ex Plut. Apophth.*

Herodoti Halicarnaſſei mendacia Plutarchus peculiari commentario perſecutus eſt. Sed & conferens illum cum Theopompo, inquit: Herodoti perverſitas eſt, illa quidem quàm Theopompi, glabrior & mollior, ſed mordet & pungit acriùs: ſicut qui per anguſtias ſpirant venti, quàm diffuſi. *Plut. de Malignitate Herodoti.*

Callias Syracuſanus, ab Agathocle ſuſceptus, magna mercede nunciam veritatis hiſtoriam vendidit, nec unquam prævaricatorem per injuriam laudare deſtitit. Nam cùm is non pauca & adversùs deos impiè, & contra homines injuſtè perpetrarit: ſcriptor ille ait, Eum & pietate & humanitate multùm alios ſuperaſſe. Denique ſicut Agathocles bona civibus erepta, ſcriptori, cùm ejus non eſſent, præter jus & æquum donabat: ſibi præclarus iſte hiſtoriographus ſcriptis ſuis ubique Principi gratificabatur. Neque verò difficile fuit, ſcilicet ad gratiam referendam, ſcribendis laudibus regias largitiones æquare. *Svidas.*

Philiſtus, cùm Syracuſas ſe reſtitutum iri ſperaret, multa Dionyſii flagitia in hiſtoria ſua diſſimulavit. *Pauſanias in Atticis, & Plut. in Vitis.*

Hieronymus Cardianus, qui res geſtas regum Macedoniæ Epirotarum ſcripſit, à Pauſania in Atticis reprehenditur, quòd Antigonum præter meritum majoribus laudibus proſequatur, Lyſimachum verò præter rei veritatem in Epiro regum ſepulchra violaſſe ſcripſerit.

Polybius homo Græcus ſæpè mendacii coarguit Fabium & Philinum: quòd alter Romanus, alter Carthaginenſis, de bello Punico ita ſcripſerint, ut hic præclara omnia de Romanis, de Pœnis contra: Philinus Pœnos omnia laudabiliter ac fortiter, Romanos autem turpiter & ignaviter geſſiſſe ſcribat. *Bodinus Methodi hiſt. c.4.*

Juſtinus *l.36.* ſolùm decem filios Iſrael ponit: narrat quoque ipſum Iſraelem populum totum de nomine filii Judæ, qui poſt diviſionem, ſed ante patrem, de vita diſceſſerat, Judæos vocaſſe.

Svetonii Tranquilli, hiſtorici alioqui graviſſimi, mendacium impudens de Chriſtianis, ubi inquit: Claudius Cæſar Judæos impulſore Chriſto aſſiduè tumultuantes, Roma expulit. Et rurſus: Sub Nerone afflicti ſuppliciis Chriſtiani, genus hominum ſuperſtitionis novæ ac maleficæ.

Philoſtratus Atticus rhetor, Apollonium Tyaneum deſcribit in odium Chriſti, virum divinitate plenum: qua narratione nihil eſt fabuloſius, inconſtantius, nihil à mente omni & ratione inanius: & profert tandem nobis magum vaniſſimum, arrogantiſſimum, & jactantiſſimum. Cujus mendacia & dementiam cùm Euſebius Cæſarienſis paucis verbis patefecit, tum nemini ſano non eſt facillimum perſpicere. *Lud. Vives de veritate fidei, lib.2.*

EXPLICATIONEM,
HISTORICI
Apti, Diligentes.

☞ *Conſule Tit. Peregrinationem, quatenus hiſtoriæ ſcribendæ cauſa peregrinati ſunt.*

Dionyſius Halicarnaſſeus, præter moderatum dicendi